

www.e-rara.ch

**Commentaria In Acta Apostolorvm, Epistolas Canonicas Et
Apocalypsin**

**Lapide, Cornelius a
Antverpiæ, M. DC. XXVII**

Zentralbibliothek Zürich

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-143778>

Caput decimumseptimum.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelnformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

CAPVT DECIMVM SEPTIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Philippis exiens Paulus contendit Thessalonicam, ubi multos conuertit; sed Iudæis eum persequentibus abiit Beræam, inde Athenas: ubi ex ara Ignoto Deo dicata, demonstrans hunc Deum esse Christum, multos ad eius fidem traduxit, ac inter eos Dionysium Areopagitam.

1. **C**um autem perambulassent Amphipolim, & Apolloniam, venerunt Thessalonicam, ubi erat synagoga Iudæorum. 2. Secundum consuetudinem autem Paulus introiuit ad eos, & per sabbata tria diserebat eis de Scripturis, 3. adaperiens & insinuans quia Christum oportuit pati, & resurgere à mortuis: & quia hic est Iesus Christus, quem ego annuntio vobis. 4. Et quidam ex eis crediderunt, & adiuncti sunt Paulo & Silæ, & de colentibus Gentilibusque multitudo magna, & mulieres nobiles non pauca. 5. Zelantes autem Iudæi, assumentesque de vulgo viros quosdam malos, & turba facta, concitauerunt ciuitatem, & assistentes domui Iasonis quærebant eos producere in populum. 6. Et cum non inuenissent eos, trahebant Iasonem & quosdam fratres ad principes ciuitatis, clamantes: Quoniam hi, qui urbem concitant, & huc venerunt, 7. quos suscepit Iason, & hi omnes contra decreta Cæsaris faciunt, regem alium dicentes esse, Iesum. 8. Concitauerunt autem plebem, & principes ciuitatis audientes hæc. 9. Et accepta satisfactione à Iasone, & à cæteris, dimiserunt eos. 10. Fratres vero confestim per noctem dimiserunt Paulum & Silam in Beræam. Qui cum venissent, in synagogam Iudæorum introierunt. 11. Hi autem erant nobiliores eorum, qui sunt Thessalonicæ, qui susceperunt verbum cum omni auiditate, quotidie scrutantes Scripturas, si hæc ita se haberent. 12. Et multi quidem crediderunt ex eis, & mulierum Gentilium honestarum, & viri non pauci. 13. Cum autem cognouissent in Thessalonica Iudæi, quia & Berææ prædicatum est à Paulo verbum Dei, venerunt & illuc commouentes & turbantes multitudinem. 14. Statimque tunc Paulum dimiserunt fratres, ut iret vsque ad mare: Silas autem & Timotheus remanserunt ibi. 15. Qui autem deducebant Paulum, perduxerunt eum vsque Athenas, & accepto mandato ab eo ad Silam & Timotheum, ut quam celeriter venirent ad illum, profecti sunt. 16. Paulus autem cum Athenis eos expectaret, incitabatur spiritus eius in ipso, videns idololatriæ deditam ciuitatem. 17. Disputabat igitur in synagoga cum Iudæis, & colentibus, & in foro, per omnes dies, ad eos qui aderant. 18. Quidam autem Epicuræi, & Stoici philosophi diserebant cum eo, & quidam dicebant: Quid vult seminiuerbium hic dicere? Alij verò: Nouorum dæmoniorum videtur annuntiator esse: quia Iesum, & resurrectionem annuntiabat eis. 19. Et apprehensum eum, ad Areopagum duxerunt, dicentes: Possumus scire quæ est hæc noua, quæ à te dicitur, doctrina? 20. Noua enim quædam infers auribus nostris: Volumus ergo scire quidnam velint hæc esse. 21. (Athenienses autem omnes, & aduenæ hospites, ad nihil aliud vacabant, nisi aut dicere, aut audire aliquid noui.) 22. Stans autem Paulus in medio Arcopagi, ait: Viri Athenienses per omnia quasi superstitioniosiores vos video. 23. Præteriens enim, & videns simulacra vestra, inueni & aram, in qua scriptum erat: IGNOTO DEO. Quod ergo ignorantés colitis, hoc ego annuntio vobis. 24. Deus, qui fecit mundum, & omnia quæ in eo sunt, hic cæli & terræ cum sit Dominus, non in manufactis templis habitat, 25. nec manibus humanis colitur indigens aliquo, cum ipse det omnibus vitam, & inspirationem, & omnia: 26. fecitque ex vno omne genus hominum inhabitare super vniuersam faciem terræ, definiens statuta tempora, & terminos habitationis eorum, 27. quærere Deum, si fortè attrectent eum, aut inueniant, quamuis non longè sit ab vnoquoque nostrum. 28. In ipso enim viuimus, & mouemur, & sumus: sicut & quidam vestrorum Poëtarum dixerunt: Ipsius enim & genus sumus. 29. Genus ergo cum simus Dei, non debemus æstimare auro, aut argento, aut lapidi sculpturæ artis & cogitationis hominis, diuinum esse simile. 30. Et tempora quidem huius ignorantie despiciens Deus, nunc annuntiat hominibus ut omnes vbique pœnitentiam agant, 31. eò quòd

quòd statuit diem, in quo iudicaturus est orbem in æquitare, in viro, in quo statuit, fidem præbens omnibus, suscitans eum à mortuis. 32. Cùm audissent autem resurrectionem mortuorum, quidam quidem irridebant, quidam verò dixerunt: Audiemus te de hoc iterum. 33. Sic Paulus exiuit de medio eorum. 34. Quidam verò viri adhaerentes ei, crediderunt: in quibus & Dionysius Areopagita, & mulier nomine Damaris, & alij cum eis.

VERS. 1.

CVM AVTEM PERAMBVLASSENT AMPHIPO-
LIM] Ciuitas est Macedoniae, vel Thraciæ
vicina Philippis: ita dicta, quòd aquis vnde-
quaque sit circumdata, isthmo tantum terræ
cohaerens. ita Pollux libr. 9. Hæc Philippo Ma-
cedoni & Atheniensibus bellorum causam de-
dit. Hanc Brasides Lacedæmoniorum dux bel-
lo Peloponnesiaco occupauit. ita Thucydides
libr. 4.

APOLLONIAM] Hæc vicina est Thessalonicæ.
Aliæ enim plures alibi fuerunt vrbes eodem no-
mine.

THESSALONICAM] Hæc prima, vel inter pri-
mas fuit Macedoniae ciuitas, ita dicta à *victoria*, id
est *victoria*, quam de Thessalis ibidem obtinuit
Philippus Macedonum rex. Nunc per aphære-
sin *Salonica* vocatur, in qua Iudæi habent syna-
gogam, typographiam, imò dominium. ita Stra-
bo libr. 7. & Stephanus libr. de Vrribus.

VERS. 2.

SECUNDVM CONSVETVDINEM] Consueuerat
enim Paulus, ait Chrysof. vbique primò adire
synagogas Iudæorum, ibique prædicare, etiam-
si sapius ab eis offensus, expulsus & lapidatus;
vt constantem in suam gentem amorem osten-
deret, bonumque pro malo redderet, itaque
multos ex eis conuerteret, reliquos nolentes cõ-
uertere faceret inexcusabiles; ne, si primò Genti-
bus prædicaret, Iudæi prætere, vel obiice-
re possent, ipsum non annuntiare verum Mes-
siam, eò quòd hic promissus esset Iudæis, non
Gentibus.

DISSEREBAT EIS DE SCRIPTVRIS] *Ἐπὶ τῶν γρα-
φῶν*, id est, *de Scripturis*. ita Tigurina. & Pagnin. E
Scripturis enim probat Iesum Christum esse
Messiam & saluatorem mundi, cuius fide om-
nes iustificari & saluari debeant. Melius & ner-
uosiùs vertit Noster, *de Scripturis*. Solebant enim
Iudæi in synagogis non aliud tractare, quàm Scri-
pturas: vnde si Paulus aliud tractasset, ac præ-
sertim directè & expressè egisset de Christo cru-
cifixo, explosissent eum Iudæi. Thema ergo Pau-
li erat Scriptura, sed ita, vt ex ea opportunis lo-
cis semper ingereret & insinuaret Christum, vt
sequitur. Vbi Nota solertiam & dexteritatem
Pauli, qua Christum artificiosè, quasi aliud a-
gens Iudæis inuitis & Christum aduersantibus
insinuat & prædicat. Idem faciendum est ijs qui
venantur animas vitij immerfas, & sermonem
omnem de virtute abhorrentes, vt primò de a-
lij rebus, quas illis gratas esse sciunt, sermonem
faciant, deinde latenter ad vitia & virtutes de-
scendant.

Dogma
S. Ignatij.

Noster fundator S. Ignatius hoc suis dabat
axioma: *Ingridimini cum eo quod est illorum, sed
exite cum vestro*; significans initio nos homini-
bus sæcularibus accommodare debere, & om-
nibus omnia fieri, vt omnes lucrifaciamus, ac
tandem virtutem, quam intendimus, eis persua-

A deamus. Ita venatores auium & ferarum, ac
piscatores piscium, eis escam obijciunt, sed
sub esca retia & hamos abscondunt, quibus
eos illaqueant & capiunt: idem faciat vena-
tor & piscator animalium rationalium, quæ
instar ferarum & piscium viuientia, terrenis in-
hiant.

Ita S. Barlaam Eremita fingens se gemmariū,
gemmamque afferre eximij splendoris & va-
loris (putà fidem Euangelicam) aditum sibi pa-
tefecit. conuertitque Iosaphat regis Indiæ filiū,
vti refert Damascenus in eorum historia.

Ita S. Abrahamus neprem suam Mariam la-
psam in fornicationem, fingens se mercatorem
reduxit in viam salutis, vti refert S. Ephrem in
eius vita.

Ita in vita Astionis Martyris legimus, Vigilā-
tium parentes adhuc Gentiles de Astione filio,
perquirentes, mortem eius celasse, dixisseque
eum viuere in regione fortium, putà in celo,
itaque eos consolatum esse, ac tandem dexterè
martyrium eius nobile enarrasse. eolq; ad Chri-
stum conuertisse.

Ita S. Xauerius à concubinatijs auellebat
concubinas, insinuans se in eorum amicitiam,
& nunc vnam, nunc alteram alio prætextu eis
adimens, donec ad vnam omnes adimeret. Le-
ge Turfellinum in eius vita libr. 6. cap. 10. sub
finem.

ADAPERIENS] q. d. Sensim & opportunè a-
periens eis Christum in Scripturis latentem, &
ex ijs ostendens Christum debuisse pati & cru-
cifigi.

ET INSINUANS] *Ἐπισημαίνων*, id est, *propo-
nens, explicans, ostendens*; Pagnin. & Tigurina, *al-
legans*; alij, *componens & conferens* gesta, & pas-
siones Christi cum verbis Prophetarum, qui illa
ipsa prædixerunt; sed occultius & obscurius. No-
ster solertius & profundius vertit, *insinuans*, ob
causam iam dictam: fortè etiam legit *παρρησι-
αίως*, id est, *inferens, interijciens, obiter & quasi per
parenthesin insinuans*. Sic S. Petrus epist. 1. cap. 5.
v. 6. ait: *Omnes autem inuicem humilitatem insi-
nuate*. id est, in sinum immittite quasi occultè
& aliud agendo, vt pote inuitis & reluctanti-
bus. Sic Rhetores vtuntur insinuatione, præser-
tim in re odiosa, vt iudicum, vel auditorum a-
nimos auersos sibi concilient, & quasi aperiant,
de qua Cicero libr. 1. de Inuent. *Insinuatio*, ait,
*est oratio quadam dissimulatione & circuitione ob-
scure subiens auditoris animum*. Et vt Seruius in
II. Æneid. *est callidus & subtilis aditus ad persua-
dendum*. Sic insinuare se in amicitiam alterius
dicitur is, qui non rectè, sed per quosdam sinus
& diuerticula latenter in amicitiam ingreditur,
& quasi irrepit.

ET QVIA HIC EST IESVS CHRISTVS, QVEM & C.]
q. d. Quia hic, scilicet Christus, ita celebratus in
Script.

Script. & expectatus à Patribus, non est alius, quam Iesus Christus, quem ego annuntio vobis. Aut, vt Græca: *quia hic est Christus, nimirum hic Iesus quem ego annuntio vobis.* Iudæi enim negant Iesum esse Christum, siue Messiam, quem dicunt venturum in fine mundi. Alij ex eis fingunt duos Christos: vnum pauperem, patientem & afflictum, & hunc esse nostrum. Vnde R. Iacobin Collectaneis è Thalmud, dicit quòd Christus hic sedeat Romæ inter pauperes miser & dolens. (vti refert Lyran. lib. contra Iudæos.) Alterum nobilem & splendidum instar Salomonis; hunc fore Messiam Iudæorum, & venturum in fine mundi. Ita ludiones isti nugantur, aut somniant; cum ex aduerso Script. veteres Rabbin. & Patres omnes, vnum tantum commemorent Messiam, siue Christum, scilicet Iesum à Iudæis crucifixum.

VERS. 4.

Colentes
quid

ET QUIDAM EX EIS [Iudæis, de quibus sermo præcessit] CREDIDERUNT, & C. ET DE COLENTIBUS, GENTILIBUSQUE MULTITUDO MAGNA] Colentes hic vocatur profelyti, putà Gentiles ad iudaismum conuersi: opponuntur enim Iudæis gente & genere, ac Gentilibus in gentilibus viuentibus. Dicit ergo ex Iudæis aliquos fuisse cōuersos; ex profelytis verò & Gentilibus multos. ita Beda, Hugo, Glossa, Lyran. & Carthus. Græci codices & Syrus faciunt hunc versum bimembrem, non trimembrem: eosdem enim faciunt Gentiles & colentes. Sic enim habent: *Et de colentibus Gentilibus multitudo magna, vt colentes vocentur pij & religiosi Gentiles vnum Deum colentes.* Vnde Syrus vertit, *multiq; ex Græcis illis qui timebant Deum.* Quocirca Apostolus postea scribens ad Thessalon. eorum in credendo promptitudinē, alacritatem & constantiam dilaudat. Sic enim scribit i. Thessal. 1. & 2. *Euangelium nostrum non fuit ad vos in sermone tantum, sed in virtute & Spiritu sancto, & plenitudine multa, sicut scitis quales fuerimus in vobis propter vos. Et vos imitatores nostri facti estis, & Domini, excipientes verbum in tribulatione multa cum gaudio Spiritus S. ita vt facti sitis forma omnibus credentibus in Macedonia & in Achaia, &c. Vide ibi dicta.*

VERS. 5.

ZELANTES AUTEM [IUDÆI] Increduli, vt addunt Græca; & vt Syrus *scelerati.* Vide Paulum Iudæorum horum zelum, inuidiam & prauitatem describentem i. Thessal. 2. 14. & sequent.

ASSUMENTESQUE DE VULGO VIROS QUOSDAM MALOS] Pro de vulgo, græcè est *αὐτοπαίων*, id est, *ex circumforaneis.* ita Tigurin. & Erasmus. Porro circumforaneos vocat eos, qui in foro versari solent, ait Vatabl. quos proinde Pagnin. vocat *forenses*, quales sunt vendentes & ementes; ad hæc baiuli, homines inertes & otiosi; item pauperes qui herum quærunt, suamque operam ad omne vel fas, vel nefas offerunt; quales multi sunt è vulgo in ciuitatibus amplis, vti erat Thessalonica. Nam, vt ait Sallust. in Iugurtha: *Egentissimo omnia cum pretio honesta videntur.* Et Silius Italicus libr. 13. *Sceleri procliuis egestas.* Diuinius verò Salomon Prouerb. 30. 9. *Mendicitatem, inquit, ne dederis mihi, ne egestate compulsus furer, & periurem nomen Dei mei.*

Orij malū.

Porro multi Thessalonicae erant inertes & otiosi, inde pauperes, inde inquieti, turbulenti, Cornel. in Acta Apostol.

A rapaces & fures. Quare hanc eorum inertiam otiumque acriter castigat Apostolus 2. Thessal. 3. 7. & sequent. Præclare Diogenes Cynicus apud Laërtium lib. 6. *Otiosorum negotium dicebat esse amorem & cupiditatem;* quòd hic affectus potissimum occupet otio deditos. Ita enim fit, vt dum otio indulgent, in rem negotiosissimam, qualis est cupiditas & desiderium rei alienæ, incidant. Et Appius Claudius, teste Valerio Max. dicebat: *longè melius populo Romano committi negotium, quam otium;* quia turba bellis excitatur ad virtutem, in pace & otio destitit ad voluptates & luxum, ex quibus nascitur seditio, cædes, rapinæ, & Reipub. exitium.

MALOS] Græcè, *πονηρός*, id est, *prauos, nebulones, flagitiosos;* item *egenos, inopes, miseros, erummosos;* Improbitas, ait Chrysof. homil. 7. in Acta, dicitur *πονηρία*, eò quòd *πόνον*, id est, laborem & molestias mille auctori afferat. Adde, quòd sæpè oriatur *πειρία*, id est ex paupertate & inopia, vti iam dixi. Id ipsum verbo & exemplo docuit Bulas famosissimus latro, qui sub Seucero Imper totam Italiam comparata manu sexcentorum latronum, biennio maximas prædas egit. Cum autem centurionem vitæ suæ insidiantem cepisset, eundem rasò capite ad Serueum Imper misit dicens: *Nuntia dominis tuis, vt seruos suos alant, ne latrocinentur.* Habebat enim Bulas multos apud se Cæsarianos, partim exigua mercede conductos, partim nullo stipendio. ita Xiphilius in vita Seueri.

ASSISTENTES DOMUI] vt in eam vi facta irumperent, ex eaque in populum producerent eos, scilicet Paulum & Silam. Vnde græcè est *ἑπιδημιῶντες*, id est, *adorti domum, siue vrgentes, instantes & imminentes domui.* ita Tigur. Pagnin. Vatablus & alij.

IASONIS] Apud quem hospitabantur Silas & Paulus. Vnde Beda censet hunc Iasonem fuisse Christianum, nimirum conuersum à Paulo per tria sabbata in synagoga Thessalonicensi disputante de Christo è Scripturis v. 2. Videtur hic Iason esse idem de quo Apostolus Rom. 16. ait: *Salutat vos Timotheus adiutor meus, & Lucius, & Iason, & Sosipater, cognati mei.* Videtur enim Iason cum Paulo Thessalonica iuisse Corinthum, vnde illa Paulus scripsit ad Romanos anno Christi 58. ita Baron. Geneb. in Calendario Græcorum quod Pfalmis præfixit, Sixtus Senensis lib. 2. Biblioth. & alij. Quod si verum est, patet hunc Iasonem fuisse Christianum, Pauli cognatum, discipulum & familiarem. Rursum hic Iason videtur esse is, qui ascriptus catalogo Sanctorum legitur in Martyr. Romano die 12. Iulij his verbis: *In Cypro S. Iasonis, antiqui discipuli Christi;* nam alium Iasonem Christianum, Sanctumque, illo æuo nusquam legimus, nisi hunc. Ex quibus verbis probabiliter coniciunt auctores iam citati, hunc Iasonem eundem esse cum Mnasone, de quo Actor. 21. 16. dicitur: *adducentes secum apud quem hospitaremur Mnasoneus quemdam Cyprium, antiquum discipulum.* Hæc enim verba planè consentiunt cum verbis Martyrologij, nisi quòd pro Iasone vocent eum Mnasonem; sed nonnulla exemplaria pro Mnasone legunt Iasonem. Vnde liquet, Iasonem fuisse

Iason
quid

oriundum è Cypro, domum tamen habuisse tam Theſſalonica, quàm Hieroſolymæ. Menologium Græcorum 29. Aprilis, & Dorotheus in Synopſi, aſſerunt Iaſonem fuiſſe Episcopum Tarſenſem; Hippolytus verò lib. de 72. diſcipulis, eis annumerat Iaſonem, facitque Episcopum in Syria. Baronius tamen in Martyr. die 12. Julij, Iaſonem illum Martyrologio aſſcriptum cenſeſſe eundem cum Mnaſone Actor. 21. v. 16. fuiſſeque Episcopum Tarſenſem, diuerſum verò ab hoc Iaſone Theſſalonicenſi, qui fuit Pauli hoſpes & diſcipulus. Vtrumque eſt probabile: nihil enim hîc eſt certum & euident.

QVAEREBANT EOS PRODUCERE IN POPVLVM] Vt ſcilicet à populo, per Iudæos concitato & furente, lapidarentur, vel malè mulctarentur Paulus & Silas. Vides hîc morem Iudæorum ſimilem eſſe mori hæreticorum, qui per tumultus populi expellunt Catholicos vel vrbe, vel ſenatu: quia ſciunt, ſi ex iure & veritate cauſam ſuam quietè agerent in tribunali, apud iudices ſe cauſa caſuros.

VERS. 6.

TRAHEBANT IASONEM] Tumultuariè, vt tumultu furentis populi eum opprimerent apud primores ciuitatis. Quare minùs rectè vertit Syrus, *litem intendebant Iaſoni*: tumultu enim res agebatur à Iudæis, non lite iudiciali. eſto id præſtenderet; idcirco enim ad principes vrbis, quaſi ad iudices traxerunt eum.

ET QVOSDAM FRATRES] putà Chriſtianos. QVONIAM] quòd: hoc enim eſt *vn.*

HI (ſcilicet ſunt) QVI VRBEM CONCITANT] Græca pro *urbem* legunt *οικουμένη*, id eſt, orbem, ſiue totam terram. Sic & Syrus. Complut. Clarius, Vatablus & alij. Sed eòdem res redit: per orbem enim intelligunt urbem vaſtam & amplam hyperbolicè. q. d. Hi ſunt qui tota vrbe turbas mouent, & totum populum ad ſeditionem concitant. Sic Phariſæi de Chriſto prædicante in ſola Iudæa dicunt Iohannis 12. 19. *Totus mundus poſt eum abiit.* Et Athenæus lib. 1. Romam vocat *mundi populum*. Romanæ enim vrbis populus videtur eſſe orbis totius, quia è toto orbe Romam confluit. Potèſt tamen Græca lectio alium commodiorè habere ſenſum, q. d. Hi ſunt qui vbique in orbe concitant tumultus, atque huc etiam venerunt vt eoſdem ſuſcitant. Alioqui ſi legas cum noſtro *urbem*, tunc id quod additur, *Et huc venerunt*, ſic accipe q. d. Sunt extranei & aduenæ, non ciues & indigenæ: vnde ab eis quaſi incognitis, nouatoribus & turbatoribus omni modo nobis cauendum eſt. Reddunt enim eos ſuſpectos dicendo, quòd aliunde venerint, ſintque extranei, ignoti, erroneſ & vagabundi.

VERS. 7.

QVOS SVSCEPIT] *ἑποδεδεχται*, id eſt, *elanculum & ſurtim exceperit*, quaſi facinoroſos, nouatores & turbatores. ita Tigurina, Pagninus, Gagneius & alij.

REGEM ALIVM DICENTES ESSE, IESVM] Cralla hæc calumnia eſt: aliqua enim ſpecie id Chriſto viuo obicere potuerunt Phariſæi, Iohan. 19. 1. at non Chriſto mortuo iam in cælis regnante, qui è terra & humanis ſublatus, omnia hæc ſub pedibus velut exilia deſpicit & calcit, quem que edicta Cæſaris ligare & tangere nequeunt.

CONCITAVERVNT AVTEM PLEBEM] Hæc enim mouetur ſolo nomine noui regis, ſiue tyranni, qualem hîc criminabantur eſſe Chriſtum; nec apprehendit, aut quærit an is viuus ſit, an mortuus, an in terra, an in cælo: fortè etiam cogitabant è cælo poſſe redire in terram, vt eam totam occupet, eique dominetur, præſertim quia hoc tempore regnabat Claudius Imperator, qui timidiffimus, ad ſolas umbras & rumuſculos noui regni & tyrannidis totus percellabatur, vt fuſè narrat Suetonius in eius vita c. 35. & 36.

VERS. 8.

ET ACCEPTA SATISFACTONE] Qualis ea fuerit, Scriptura non narrat. Syrus explicat, aitque fuiſſe fideiuſſores. *Sed acceperunt*, inquit. *fideiuſſores à Iaſone*, qui ſcilicet fideiuberent eos fideles fore Cæſari & Romano Imperio, nihilque noui contra illud moturos, ait Caietanus. Budæus verò, & ex eo Gagneius & Sanchez per *ſatisfactionem* accipiunt ſatisfactionem, id eſt fideiuſſionem, qua Iaſon ſeipſum pro Paulo ſponſorem dedit, vel ſiſtendi illum tribunali, vel pro eo ſatisfaciendi, ſi in aliquo deliquiſſe conuinceretur. Tertio, Dionyſius & Lorinus per *ſatisfactionem* accipiunt excuſationem & purgationem, qua Iaſon oſtenderit Paulum non eſſe ſeditioſum, nec inducere nouum regem terrenum, putà Chriſtum, vt pote qui iam pridem ſit mortuus, cuiusque regnum ſit ſpiritale, non corporale. q. d. Cùm Iaſon ſufficienter ſatiſque oſtendiſſet Paulum non concitaſſe turbas, dimiſſus eſt. Quarto, Petrus Alexand. ſerm. de Pœnitentia, per *ſatisfactionem* accipit mulctam, putà pecuniam, quam Iaſon pro ſe redimendo dederit. Verùm hoc parum videtur probabile; nec ſatis dignum generoſitate & integritate Pauli & Euangelij. Priores ergo ſententiæ ſunt probabiliores. Miratur Chryſoſt. Iaſonis virtutem, qui ſe caputque ſuum pro Paulo periculo obiecerit.

BEROEAM] Vrbs eſt Macedonia, non longè à Pella, Alexandri Magni patria.

VERS. 10.

IN SYNAGOGAM IVDÆORVM INTROIERVNT] Mirare hîc animos zelumque Pauli. A Iudæis enim iterum & tertio malè mulctatus, ad eos rursus ingreditur: non cedit perſecutionibus, ſed fortior ijs exurgit, *Ac vehementiùs in aduerſarios fertur, & incrementa perſecutionis maioris illi ſunt cauſa conſtantia, inſtar flammæ, que vento agitata magis inardescit*, ait S. Chryſoſt. hom. 7. de laudibus S. Pauli. Ita certat virtus cum vitio, amor cum odio, beneficentia cum maleficijs: certat, & vincit. Hic eſt mos amantis, hic animus fortis & generoſi, vt ſibi dicat: *Tu ne cede malis, ſed contra audentior ito.* Præclare S. Bernar. epift. 156. ad Eugenium Pont. *Legi, ait, apud quemdam ſapientem: Non eſt vir fortis, cui non creſcit animus in ipſa rerum difficultate. Ego autem dico: fideli homini magis eſt inter ſtagella ſidendum.*

HI AVTEM] q. d. Bercea erat nobilior Theſſalonica, & ciues Berceenſes erant nobiliores Theſſalonicenſibus. ita S. Chryſoſt. Gagneius & Vatablus. At verò aptiùs Syrus, Lyran. Hugo & Caietan. hæc reſtringunt ad Iudæos, de quibus proximè præceſſit; q. d. Iudæi Berceæ habitantes, erant nobiliores Iudæis habitantibus Theſalo-

VERS. 11.

falonicae: his enim solis competit id quod sequitur, *Quotidie scrutantes Scripturas.* Hæ enim propriae erant Iudæorum, non Gentilium. Idem confirmat v. 12. ut ibi patebit.

NOBILIORES] Id est, nobilissimi, tum genere & prosapia, tum generositate & indole. Sæpè enim nobilitas generis secum affert nobilitatem animi, puta magnanimitatem, sinceritatem, civilitatem, probitatem, humanitatem, liberalitatem, ita Chrysof. Oecum. Lyran. & alij. Dicit hoc Lucas, ut ostendat Berœenses nobili indole præditos, magis fuisse dociles, magisque capaces & promptos ad capessendam doctrinam Evangelij. Vnde de iis subdit:

QUI, scilicet Berœenses, non Thessalonicenses, SUSCEPERUNT VERBUM Evangelij prædicatum à Paulo, CVM OMNI AUIDITATE] Græcè, *ἁπλοῦς*, id est, cum animi promptitudine, siue libenter & propensis animis.

SCRUTANTES SCRIPTURAS] Non enim tenebantur credere, imò prudenter credere non poterant initijs Evangelij, & Paulo nouo prædicatori, nouum Deum annuntianti; nisi re examinata comperissent, hanc prædicationem esse consonam verbo Dei & oraculis Prophetarum. Quocirca idem de se dixit Christus Iudæis Iohan. cap. 5. 39. *Scrutamini, ait, Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam habere æternam: & illa sunt quæ testimonium perhibent de me.* Secus est iam cum Euangelium, & fides primitus sat superque examinata, tot sæculis probata & recepta est; & tamen etiamnum possumus scrutari Scripturas, non ut fidem examinemus, sed ut in ea nos confirmemus, eiusque mysteria melius & profundius penetremus, nobisque & aliis imprimamus; imò id ipsum dumtaxat fecisse Berœenses est verisimile. Jam enim susceperant verbum Dei cum omni auiditate: non ergo scrutabantur Scripturas, ut primitus crederent, sed ut in fide suscepta se confirmarent, singula Scripturarum testimonia de Christo à Paulo citata examinando, & cum dictis Pauli conferendo. Quare perperam hæretici contendunt ex hoc loco, hæreses suas esse examinandas ad Script. Cum enim constet eas esse hæreses, id est errores, fidei & traditioni Patrum repugnantes, non examinandæ, sed ilicò damnandæ & explodendæ sunt.

VERS. 12. ET MULTI QUIDEM CREDIDERUNT EX EIS] scilicet Iudæis Berœensibus: hos enim opponit Gentilibus mulieribus & viris, quorum pariter non pauci crediderunt in Christum. Vide dicta initio vers. 11.

VERS. 14. UT IRET VSQVE AD MARE] Græcè, *ὡς ἕως θαλάσσης*, id est, quasi ad mare: noluerunt enim fratres, ait Caietan. ut Paulus apertè fugeret, sed declinaret, tanquam iturus ad mare. Verùm Noster pro *ὡς*, id est quasi, legit *ἕως*, id est vsque. Nam hoc itinere perrexit continuè Paulus, & peruenit Athenas.

SILAS AVTEM ET TIMOTHEVS REMANSERVNT IBI] ut Berœensibus fidei. auidis fidem annuntiarent, & eos qui iam crediderant in ea confirmarent. Solius enim Pauli, quasi choragi, caput petebant Iudæi.

VERS. 15. QUI AVTEM DEDUCEBANT PAVLVM] sunt Cornel. in Acta Apostol.

A honoris, tum securitatis causa, ne quas insidias, vel periculum à Iudæis subiret. Hoc enim est Græcum *ἡσυχαστικὸν*, id est, comitatu suo eum confirmantes. & securitatem præstantes. Id etiamnum faciunt suis prædicatoribus feruentes Catholici in Anglia, Hollandia, Iaponia India.

ATHENAS] Vbi erat schola eloquentiæ & sapientiæ, ac consequenter poetarum, oratorum, & philosophorum multitudo; insuper idololatriæ abundantia: idque patet ex Poëtarum de suis dijs præconijs & encomijs. Vnde Theodor. de Curan. Græc. affect. primatum idololatriæ inter cunctas orbis vrbes Athenis defert, idemque insinuat Paulus v. 16. & 22. Nunc Athenæ sepultæ iacent, & in vicum redactæ. Erat ergo Athenis Apostolo magna messis, præsertim quia ex Athenis quasi ex capite sapientiæ, in reliquâ Græciam erat deriuanda. Vnde celeriter eò vocauit adiutores suos, Silam & Timotheum. Hinc Tertul. lib. de Anima c. 3. Athenas vocat linguatam ciuitatem, aitque ibi caupones fuisse sapientiæ & facundiæ. Græci verò eam vocant *ἡμάδα*, id est, Græcia Græciam; sicut Athenæus li. 1. Dipnosoph. Romam vocat *ἡνωμένη* & *ὀκνηρὴ* id est, compendium, siue vrbes orbis.

Athenæ quantat

INCITABATUR SPIRITVS EIVS IN IPSO] *ἠσπάζετο*, id est, irritabatur, excandescbat. ita Pagnin. Tigur. & Vatabl. Syrus, *merore afficiebatur*; S. Aug. li. 1. contra Crescent. c. 12. legit, *irritabatur Spiritu sancto intra se. q. d. Aestuabat Pauli animus, hinc dolore & compassione tam doctæ, & tam cæcæ miseræque ciuitatis; inde desiderio & zelo eam iuuandi, erudiendi & saltandi; aliunde ira & indignatione in idololatriam, eiusque auctorem diabolum. Sic Ierem. c. 20. 9. de sermone Dei ait: Et factus est in corde meo quasi ignis exastuans, claususque, in ossibus meis, & defeci ferre non sustinens. Vbi S. Hieron. conceptus animo sermo diuinus, inquit, nec ore prolatus, ardet in pectore. Vnde Paulus Athenis videns idololatriam deditam ciuitatem tota mente seruebat.*

VERS. 16.

COLENTIBVS] profelytis, ait Chrysof. hoc est, Gentilibus ad iudaismum conuersis, aut fug salutis & veræ religionis studiosis.

VERS. 17.

IN FORO] Syrus, in platea. Ita primi Societatis nostræ Patres & fundatores, instar Pauli in plateis & foris concionabantur, ut etiamnum Romæ faciunt nostri, spiritus patrum suorum affectæ & æmuli, magno confluxu & fructu.

QUIDAM AVTEM EPICVRÆI] Epicurus Xenocratis discipulus, puer 14. annorum philosophari incipiens in hortis, omne bonum & felicitatem hominis ponebat in voluptate. Hinc negabat numen & prouidentiam Dei: quocirca plurimos habuit sectatores: esto enim à nonnullis frugalis fuisse dicatur, & parcus à pluribus, tamen voluptuarius nuncupatur & porcus, ait S. August. de Vtilit. credendi cap. 4. Vnde illud Horatij: *Epicuri de grege porcus.* Negabat enim animæ immortalitatem, & consequenter resurrectionem, dicitabatque: *Ede, bibe, lude, post mortem nulla voluptas.* Vnde Sidonius in Epithalamio Polemij: *Ast Epicurus eos eliminat vndique virtus.* Timocrates apud Laërt. lib. 10. in vita Epicuri asserit Epicurum bis quotidie præ crapula vomere

VERS. 18. Epicurus qualis

mere solitum, ideoq; corpore miserabiliter affectum, sic vt per multos annos è lecto surgere non posset: minam quotidie in mensam impendisse: tandem calculo obiisse. Nausiphanes Epicurum ob crapulam appellabat pulmonem, & indoctum, & circumscriptorem, & seortum. Porro natus est Epicurus 3. anno cix Olympiadis, 7. annis postquam mortuus est Plato: vixit 72. annos.

Axiomata Epicuri.

Hæc eius axiomata recenset Laërtius: *Quod beatū est & immortale, id neque ipsum negotij quidquam habet, neque alteri exhibet, vt neque ira, neque gratia moueatur: in quo enim eiusmodi insunt, omne hoc imbecillum est.* Vnde inferas, Deum non curare res humanas, nec malos punire. *Mors nihil ad nos pertinet. Quod enim dissolutum est, id sensus est expers: quod verò sensus est expers, nihil ad nos pertinet.* Vnde colligas, animam post mortem nil sentire, vnaq; cum corpore interire. *Felicitatem sitam esse in voluptate: hanc enim esse initium & finem bene viuendi, vnaq; beata. Mundos esse innumerabiles, eosq; ex atomis inter se coëuntibus coaluisse: atomos ergo esse principium rerum omnium, esseque infinitas; quod hausit à Democrito suo Magistro.* Vnde S. August. li. 3. contra Academicos cap. 10. *Quomodo, inquit, inter Democritum, & superiores Physicos, de vno mundo & innumerabilibus litem diiudicabimus, cum inter ipsum, heredemq; eius Epicurum, concordia manere non potuerit? Nam iste luxuriosus, cum atomos quasi ancillulas suas, id est, corpuscula qua in tenebris letus amplectitur, non tenere viam suam, sed in alienos limites passim & sponte declinare permittit, totum patrimonium etiam per iurgia dissipauit.* Itaque Paulo & Christianis acere semper contra Epicuræos fuit certamen, *καὶ ἀκαροῖδ' & πόλεμ'.*

Et Stoici Philosophi fuere ita dicti à *στοῖα*, id est, porticu. in qua docere & differere solebat Zeno eorum parens, seueri & rigidi, ideoq; Epicuræis oppositi. Vnde Cicero pro Murena: *At enim, inquit, agit mecum austerè & stoicè Cato.*

Stoicorum paradoxa.

Stoicorum paradoxa, & errores Paulo conuellendi fuere hi. Primus: fatum esse, omniaque regi fato: fatum ergo esse Deum, Deum itaque tollebant Dei que prouidentiam, & pro Deo substituebant fatum ac naturam: omnia enim fluere censebant naturæ cursu & necessitate. Naturam, inquit Lactant. l. 3. c. 28. dixerunt esse rerum omnium matrem, quasi dicerent omnia sua sponte esse nata. Præclare S. Eucherius epist. ad Valerianum sub finem: *Fatum non esse, inquit, interrogent Gentes vel leges suas, qua vtique non puniunt, nisi factorum voluntatem.* Factum ergo cuiusque elidit fatum, putà libertas necessitatem.

Secundum.

Secundus: virtutē, in qua summum bonum ponebāt, esse in potestate & industria cuiusque: vnde non esse eam petendam à Deo, vtpote que sita sit in arbitrio hominis: quare cuique in sua virtute esse gloriandum. ita S. Aug. tom. 6. tractatu de Epicur. & Stoicis c. 4. & seq. Docebāt ergo sapientem sibi sufficere, ac se solo contentum esse: eum solum esse diuitem, liberum, regem, beatum, impecabilem, apathem, imperturbabilem, & Deo parem. Vide Lipsium Manuduct. ad Stoicam Philosoph. li. 3. c. 14.

A Tertius: omnes virtutes esse pares, & omnia vitia paria; ac qui vnum habet, vel vitium, vel virtutem, omnia & omnes cæteras habere. Rursum vitia Dei prouidentia existere, ad varietatem & ornamentum vniuersi. ita Cicero in Paradoxis, & Plutarchus contra Stoicos.

Tertium.

Quartus: non esse ignoscendum reo qui offendit, non esse miserendum, eò quòd misericordia sit passio & agritudo animi, quæ in sapientem non cadit; quodque iustitiæ sitis dandus sit locus, vt rei putiantur. Vnde Cicero pro Murena ex Stoicis ait, *neminem misericordem esse, nisi stultum & leuem.* Et Seneca li. 2. de Clementia c. 4. damnat misericordiam quasi vitium. Et c. 6. *Misericordia, inquit, vicina est miseria: habet enim aliquid trahitq; ex ea. Misericordia vitium est animarum nimis miseria fauentium.* Vide Lipsium loco citato c. 19.

Quartum.

B Quintus: sapientem sumere aliquando mortem posse, imò decere & debere, ne scilicet miserè viuat. Vnde Seneca in Aiace: *Aut honestè viuere, aut statim mori generosum oportet.* Ita Cleanthes Stoicus, vlcere in ore nato, cum suafu medicorum cibo abstinuisset ad biduum, meliusq; iam factum esset, illis ad cibum reuocantibus, abauit, nec maiore via parte confecta, esse reditum asseruit. Ita inedia obiit. Zeno ipse 98. annos natus, cum valens & integer è schola veniens pedè offendisset, lapsusq; esset, manu terram pulsans, illud Euripidis occinuit. *Venio quid appellas mee?* Vide Senecam Philosophum li. 3. de Ira c. 15. & epist. 70. Idem in Sentent. Bona, ait, *mors est homini, vita qua extinguit mala.* Vnde ipse moriens, vxorem suam mori volentem secum, eam ferro incidi permisit, & ad id animauit.

Quintum.

C Sextus: omnes deos mortales esse, excepto Ioue, & in Iouem transiuros: sic in conflagratione mundi, sol, inquit obant, lunam, & cæteras stellas in se transmutabit. ita Plutarc. li. Contra Stoicos. Vbi etiam addit, Stoici Deum aiunt esse corpus mente præditum, mentemq; in materia versantem; non simplicem esse, neque purum, sed ex alio & per aliud esse pronuntiantes. Vide eundem lib. de Stoicorum repugnantijs.

Sextum.

D Septimus: Deum esse spiritum & animam mundi. Itaque spiritum qui vegetat mare, esse & vocari Neptunum; qui terram, Cererem: qui aëra, Iunonem: qui vites, Bacchum: qui oleas, Mineruam: qui solem & sidera, Apollinem: qui herbas & pharmaca, Esculapium: qui linguas, Mercurium: qui æthera, Iouem. ita Plutarc. lib. de Iside & Osiride. Quia enim videbant res omnes spiritu & calore nasci, foueri & crescere; hinc hunc spiritum & calorem, quem vocarunt ignem, censuerunt esse æternum & increatum rerum omnium principium & causam, ideoque esse Deum. Idem ante Stoicos censuit Hippocrates de Princip. *Videtur mihi, inquit, quod calidum, siue ignem dicimus, immortale esse, & intelligere omnia & videre, & audire, & scire omnia, presentia & futura.* Quid absurdius dici potest? nam æternitatem, sensum, intellectum, scientiam & præscientiam tribuit igni. Hinc Posidonius apud Stobæum, Deum definit esse spiritum igneum. *Deus, inquit, est spiritus intelligens & igneus, formam ipse non habens, sed in omnes se vertens,*

Septimum.

vertens, & omnibus asimilans. Et Democritus: Deus, inquit, est mens in igne spherico. Et Athenagoras: Deus est, inquit, seruens substantia iuxta Stoicos. Et Pythagoras de Stoicis prognatus censuit, ait Cicero li. i. de Natura deorum, Deum esse animum, per naturam rerum omnium intentum & commeantem.

Octavius: mundum esse animal animatum, vinum & rationale: ratione enim regi, spiritu vegetari & irrigari. Denique mundum esse Deum. Audi Manilium lib. i.

Viueret mundum,
Et rationis agi motu, cum spiritus vnus
Per cunctas habitet partes, atque irriget orbem
Omnia peruolitans, corpusq; animale figeret.

Et rursum:

Qua pateat mundum diuino munere verti,
Atque ipsum esse Deum.

Et Seneca Stoicorum acutissimus epist. 97. Totum, ait, hoc quo continemur, & vnum est, & Deus est, & socij eius, & membra sumus: quem refutans Lactant. lib. 7. c. 3. Si haec omnia, inquit, quae videmus, Dei membra sunt, iam insensibilis ab his constituitur Deus. Quin & Varro Romanorum doctissimus, idem censuit. Audi S. August. li. 7. de Ciuit. c. 6. Varro, inquit, de naturali Theologia preloquens, dicit Deum se arbitrari animam mundi, & hunc ipsum mundum esse Deum.

Ex dictis liquet, tam Stoicos, quam Epicuræos, habuisse suos atheismos, & in re fuisse atheos, imò polytheos, ideoque magis atheos. Qui enim plures deos ponit, hic vnum Deum verum, qui solus est, è medio tollit. Hi alijque errores Stoicorum & Epicuræorum conuellendi erant Paulo, docendo omnem nostram virtutem, bonum & salutem consistere in Christo crucifixo, cuius gratia & potentia resuscitandi sumus in vitam immortalem & beatam; ideoque eum solum esse mediatorem Dei & hominum, eorumque saluatorem: cuius proinde doctrina, & vita sobria, casta, iusta, pia & sancta nobis sit capessenda.

Moraliter: ita hodie nulli magis Christianæ disciplinæ & virtuti aduersantur, quam Epicuræi, id est, voluptuarij & delicijs carnis immerfi; ac Stoici, id est, arrogantes, suæ sapientiæ & iudicio præfidentes, quales sunt hæretici. Vnde experientia constat, hæresiarchas omnes fuisse Epicuræos, vel Stoicos, id est, ventrosos & venereos, vel superbos, ideoque in hæresim esse prolapsos. Numquam enim hæresis est primum peccatum, sed alia ei sunt præuia, quæ hominem ad hoc malorum barathrum sensim deducunt. Appositè Barlaam apud Damascenum in Histor. cap. 12. Iosaphat regi dat parabolam monocerotis, id est mortis, qui hominem insequitur: ille fugiens apprehendit arborem, in qua modicum est mellis, id est voluptatis; quo se pascens, in subiectum barathrum, putà gehennam, corruit.

Heu quam dulce malum mortalibus additum,
Mellis dulcis amor!

Et Boëthius lib. 3. metro 7.

Habet omnis hoc voluptas,
Vbigrata mella fudit,

Fugit, & nimis tenaci

Cornel. in Acta Apostol.

A Ferit ista corda morsu.

Quocirca Deus Iudæis in sacrificio vetuit mel, vti dixi Leuit. 2. 11.

Verè S. Bernardus serm. 30. in Cantic. Epicurus, inquit, voluptatem, Hippocrates autem bonam valetudinem præfert: Christus verò vtriusque contemptum prædicat, dicens: Qui amat animam suam, perdet eam. Perdet, vel ponendo eam vt Martyr, vel affligendo vt pœnitens. Quanquam genus martyrij est, spiritu facta carnis mortificare, illo nimirum quo membra caduntur ferro, horrore quidem mitius, sed diuturnitate molestius. Quin & Seneca lib. de Vita beata cap. 7. Altum quiddam, inquit, est virtus, excelsum & regale, inuictum, infatigabile, voluptas, humile, seruite, imbecillum, caducum, cuius statio ac domicilium fornices & popine sunt. Virtutem in templo inuenies, in foro, in curia, pro muris stantem, puluerulentam, coloratam, callosas habentem manus: voluptatem, latitantem sapius, ac tenebras captantem.

DISSEREBANT CVM EO] αὐτὸς ἄλλοι, id est, congregiebantur & conflictabantur cum eo. ita Pagnin. Vatabl. & Tigurina.

QV ID VULT SEMINIVERBIVS] Græcè elegantè dicitur σπερμολόγος, id est, spermologus, verbisator, putà seminator verborum, vti legit S. August. tract. contra Epicur. & Stoicos. Oecumen. censet alludè ad σπερμολόγον auiem quamdam vilem è genere graculorum, quæ semina colligit, quam proinde vertere & vocare possis seminilegam, de qua Aristot. lib. 8. Histor. animal. c. 3. Vnde Eustathius in Odyss. lib. 5. censet ab hac aue vocari spermologos, homines inopes & abiectos, qui in foro colligunt grana è faccis excidentia & neglecta, indeque victitant. Propriè Epicuræi Paulum hic vocant spermologum, id est, verbosum, garrulum, qui nil nisi verba effutiat, & ad quæstum quiduis garriat, vti faciunt rabulæ forenses, & agyræ, siue circumforanei, qui suas nugas verbis appetant & venditant. Verè S. August. loco paulò antè citato: Dicitur est quidem, inquit, ab iridentibus, sed non respuendum est à credentibus: erat enim reuera ille seminator verborum, sed messor morum. Verba enim eius non erant verba aërem ferientia, sed tela mentem sauciantia. Spermologi sunt prædicantes hæreticorum, qui verè se vocant Ministros verbi, quia re ipsa non nisi verba dant, non Dei, sed diaboli.

NOVORVM, ξένων, id est, peregrinorum, novorum, inauditorum, absurdorum, DÆMONIORVM] Syrus, deos alienos prædicat iste. Gentiles enim dæmones censebant esse deos minores. Porro cum sint calodæmones & cacodæmones, id est, dæmones boni & mali (dæmon enim græcè idem est quod sciens, ait Plato in Cratylo; vnde vocatur dæmon Socratis: licet Eusebius. l. 4. Præp. c. 3. nomen dæmon deriuat à δαίμωνος, id est, percellere, metum iniicere. Alij à δαίμωνος, id est, regere, eò quòd homines regant) hinc tam de bonis, quam de malis hæc sententia accipi potest. ita Syrus, Vatablus & alij. Apuleius apud S. Augustin. 8. Ciuit. cap. 16. Dæmones definit esse genere animalia, animo passiva, mente rationalia, corpore aërea, tempore eterna. Horum verò quinque tria priora illis esse nobiscum communia;

A a 3 quidi-

Philosophi
arbei.

Moral. de
pœnitia
voluptatis.

Spermolo-
gus quis

Dæmon,
id est, sciens

quartum proprium, quintum eos cum dijs habere commune. Sed duo vltima falsa sunt, æquæ ac primum, nisi per æterna accipias æterna in futurum, non in præteritum.

QVIA IESVM ET RESVRRECTIONEM ANNVTIABAT Iesum, quasi Deum: ἀνάστασις, id est resurrectionem, quasi deam, resurrectionis præsidem, quæ sibi deuotos faceret à morte resurgere, ita S. Chrysostr. Oecumen. & Sanchez. Sic enim Romani fortunam, felicitatem, salutem, honorem, &c. colebant vt deas, quæ hæc suis cultoribus aspirarent Vide S. August. li. 4. Ciuit. c. 11. & sequent. Verùm simplicius, & nouorum demoniorum annuntiator est, referri potest ad Iesum, quem annuntiabat Paulus: τὸν δὲ verò seminiuerbius, ad resurrectionem. Gentiles enim cum lumine naturæ non caperent resurrectionem, eò quòd ipsa sit supra naturam & miraculum, ac proinde per Dei omnipotentiam, non per vim naturæ futura, dicebant Paulum eam prædicantem, serere verba, id est, prædicare nugas, fabulas, res impossibiles, esseque impostorem, qui præsentia lucra capter, promittendo montes aureos in futura resurrectione, vti faciunt Bonziji apud Iapones.

VERS. 19. AD AREOPAGVM DVXERVNT] *Areopagus* græcè idem est quod Martis vicus, Martia curia. *Ἄρειος* enim vocatur Mars. Græcè est, ἄρειος ἀγορῶν, id est, ad Martium vicum: sicut Romæ erat campus Martius. Athenæ enim distributæ erant in quinque pagos, siue vicos, è quibus vnus erat Areopagus, ita dictus à templo Martis, in quo primum iudicium capitis actum fuisse scribit Plinius lib. 7. c. 56. Hoc enim Areopagi iudicio nihil erat constantius, nihil seuerius, nihil fortius, ait Cicero li. 1. ad Attic. epist. 9. vt tot Martes esse viderentur, quot erant iudices. Hinc dicti sunt Areopagitæ, iudices seuerissimi, qui in templo, vel iuxta templum Martis iudicabant. Nam cum Mars homicidij insimularetur, iudicantibus duodecim dijs in eo pago, sex sententijs absolutus est, vt tradunt Græci: cum enim pares erant sententiæ, absoluebatur reus, vtpote cui in dubio, & in pari fauendum est potius, quàm actori: nam condemnandus est nemo, nisi conuincatur esse reus & nocens.

Refellit hanc sententiam Varro apud S. Augustinum 18. Ciuit. cap. 10. Vnde Oecumen. & Isidorus Pelus. lib. 10. epist. 91. ex Pausania tradunt, Martem eo loci accusatum à Neptuno de stupro, capitis damnatum fuisse, indeque dictum Areopagum. Demosthenes verò orat. contra Aristocr. censet Areopagum dictum esse, quòd in eo causæ Martiæ, de pugnis & homicidijs voluntarijs, tractarentur: nam fortuitæ agebantur in Palladio tribunali. Institutum est Areopagi tribunal à Cecropè, ait Aristot. 2. Polit. & Eusebius in Chronico, anno mundi 3694. semperque etiam sub Tyrannis perdurauit. Solon verò decreuit, Areopagitas esse rerum omnium speculatores & custodes: vnde eos deligi voluit ex ijs dumtaxat, qui Archontes, id est, principes & reipub. præfecti fuissent, ita Plutarch. in Solone. Erant ergo Areopagitæ fama integerrimi, virtute spectatissimi, & vsu rerum perspicacis-

fimi. Vnde iudicabant noctu in tenebris, ne eorum mouerentur lacrymis, & aspectu: qui proinde iuebantur simplicibus verbis causam enarrare, & ab omni verborum gestu: quæ furo abstinere. Porro sententiam ferebant non loquendo, sed calculum, vel absolutionis, vel damnationis dando. Vnde proverbiū: *Areopagita taciturnior*. Quocirca grauissimæ causæ toto orbe, etiam à Romanis, teste Gellio lib. 12. ca. 7. ad Areopagitas iudicandæ deferebantur, eorumque tanta erat grauitas & maiestas, vt Aristides in Panath. asserat, eorum sententias oraculis fuisse adæquatas, nefasque duxisse omnes, præ reuerentia Areopagi, in eius ridere conspectu. Vnde & ter tantum in mense, in Areopagum iudicaturi conscendebant, nimirum quarto Calen. tertio, & pridie. Hæc & plura Budæus in Pandectas lege vltim. de Sen.

Ductus est ergo Paulus ad Areopagum, vt ibi quasi nouæ religionis assertor iudicaretur, & si reus esset, puniretur. Sic enim Socrates Athenis damnatus est ad mortem 281. sententijs, eò quòd novos deos, vel demones induxisset. Vnde S. Chrysostr. *Ad Areopagum*, ait, *duxerunt Paulum, non vt quippiam cognoscerent, sed vt punirent, & supplicijs afficerent: ibi enim capitalia exercebantur iudicia*. Sed Dei prouidentia hæc in contrarium vertit, fecitque vt magna dignitas Euangelio & religioni accresceret in Areopago, eò quòd ibi eam probasset Paulus, adeoque iudicem ipsum, putà Dionysium Areopagitam, ad eandem conuertisset.

Symbol. Areopagus significat eos, qui sincere & recte de re quapiam iudicare volunt, debere induere animum virilem & martium, vt nulla cupiditate, vel passione effeminari, & corrumpi se sinant. Ideo enim feminæ sæpè de rebus malè iudicant, quia feminæ sunt, & passionibus aguntur, quæ rectum iudicium obscurant. Nam, vt ait ille: *Femina aut amat, aut odit*: atque amor & misericordia, in quam pronæ sunt feminæ, non minus iudicium perturbant, quàm odium & sæuitia.

POSSVMVS] Astute, ciuilitè & humanitè interrogant quasi postulando, dicuntque *possumus*. q. d. Placétne tibi hæc noua nobis edisserere? mox deinde animum suum produnt, dum eum vrgent, & vi penè responsum extorquent, dicendo: *Volumus ergo scire, quidnam velint hæc esse*.

NOVA] *ἕξις* ἑστῆς, id est, peregrina, putà peregrinam fidem, peregrinum Deum, peregrina dogmata, quæ Athenis inaudita, tu aliunde eò inducis & prædicas.

ET ADVENÆ HOSPITES] Tigurin. & qui illic versabantur hospites, siue peregrini. VERS. 21.

AD NIHIL ALIVD VACABANT, NISI AVT DICERE, AVT AUDIRE ALIQVID NOVI] Sic & Plutarch. tract. de Garrulitate, tradit Athenienses mirè fuisse nouorum audios, datque exemplum tonforis cuiusdam, qui cum magnam Atheniensem in Sicilia acceptam cladem, quam ex seruo inde fuga elapso cognouerat, relicta officina primus in vrbe annuntiaffet, nec rumoris huius tristis producere posset auctorem, ipse quasi cum confinxisset, rotæ alligatus ad publicum ludibrium fuit expositus. Mox adfuere nuntij, qui

qui ex ipsa clade profugerant: itaque omnes dissipati sunt ad suos luctus, miserum tonsorem rotæ alligatum relinquentes. Atque is serò solutus, è litore quæsiuit: *Audiuissentne etiam de Nicia duce exercitus, quo is modo perierit?* Ad eò inexpugnabile & inemendabile malum fit consuetudine, nouorum auiditas. Idem tract. de Gloria Atheniensium, ait eos plus in comœdias nouitatis officinas, quàm in bella infumere solitos. *Laco ille, inquit, non ineptè dixit: grauitè peccare Athenienses res serias in ludicrum impendentes, hoc est, magnarum classium & exercituum commeatum & sumptus in theatrum prodigentes.* Hæc Plutarchus, qui vixit sub æuum S. Pauli & Lucæ, nimirum sub Domitiano Imperatore.

Tales & hodie nonnulli sunt. Curiositas enim noui quippiam videndi, vel audiendi, hominibus innata est: noua enim placent, noua delectant. Et quia noua vera non semper suppetunt, hinc multi noua fingunt, nugæque & fabulas narrant, easque sæpè infames, quibus famam proximi lacerant, eumque alijs ridendum obijciunt. Quare perniciosa est curiositas, æquæ ac verbositas. Quocirca Euclides rogatus, quales essent Dij, & qua re delectarentur? *Cetera quidem ignoro, inquit, at curiosos illis odio esse certò scio.* ita Maximus serm. 21. Socrates semper de moribus diserebat, non de astris, aut de meteorologis: rogatus cur? respondit, *Qua supra nos, nihil ad nos.* Idem crebrò viurpabat illud Homeri:

Aedibus in nostris quæ praua, aut recta gerantur.

Ita Laërtius in eius vita. Zeno adolescentem quemdam curiosius quiddam sciscitantem, adduxit ad speculum, vtque se contempleretur admonuit. Mox rogauit, an videretur tali vultui conuenire tales quæstiones proponere? ita Laërt. lib. 7. c. 1. Demonax cuidam roganti, an mundus rotundus esset & animatus? *Vos, inquit, de mundo solliciti estis, & vestram ipsorum immunditiam non curatis.* ita Maximus serm. 21. Narratur de Ægyptio baiulo, qui gestans quiddam velis opertum, euidam sciscitanti, quid portaret? sapienter respondit: *Ideo obuclatum est, ne scires: tu verò cur curiosè vestigas quod occultatum est?* Gorgias audiens quemdam inepta quærentem, & alterum ineptè respondentem, ait: *Vter stultior, qui mulget hircum, an qui cribrum supponit?* Argutè quidam dixit, Athenienses virtutem habere in labris, non in factis, ait Plutarc. in Lacon. quia loquaces non sunt operosi. Vnde qui multum garrunt, parum faciunt: animus enim eorum totus est in lingua, non in manu. Vide dicta in illud Sophon. 3. 18. *Nugas qui à lege recesserant congregabo.* Sanè tales sunt tempiperdæ, verbiperdæ, lucriperdæ, auriperdæ, & sæpè animæperdæ; quibus intonat Christus: *Dico vobis: Quoniam omne verbum otiosum quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicij,* Matth. 12. 36. Quid noua quæris, cum nil noui sit sub sole? *Eccles. 1. 10. Non saturatur oculus visu, nec auris impletur auditu.* Ibidem v. 8. Celebre est exemplum Machetis apud Cassian. li. 5. de Instit. renunc. cap. 29. qui in collatione spiritali longissima nunquam, sed in narratione otiosa & curiosa ilicò incidebat in somnum. Et cap. 31. docet dæmonem facere, vt audientes spiritua-

lia obdormiscamus, audientes fabulas expergiscamus, & attendamus.

QVASI SUPERSTITIOSIORES Mitigat reprehensionem rō quæsi, & comparatiuus *superstitiosiores*: magis enim pupugisset, vocado eos in positiuo *superstitiosos*. Syrus vertit, *videtis vos nimios esse in cultu demonum*: græcè enim δειδαιμόνων est, qui δειδρα δαιμόνων, id est, *timet demonia*, ait Oecum. Adde δειδαιμόνων, eque ac superstitionem sæpè in bonum capi pro religione, vti capit Plutarc. lib. 2. *de eis δαιμόνων*, Cicero actione 4. in Verrem (cum de Siculis ait, totam prouinciam religionē occupasse, & mentes omnium Siculorum superstitionem peruasille) & alij: alioqui superstitio differt à religione per excessum, quod sit inanis & minima religio. Nam qui totos dies precabantur & immolabant, vt sibi sui liberi superstites essent, *superstitiosi sunt* appellati, ait Cicero lib. 2. de Natura deorum. Sic & Seruius: *A superstite, inquit, superstitio dicta, quæ anicularum propria est, quæ multis per ætatem superstites sunt, & quæ rebus inanibus addicta, dum volunt nimis esse religiose, superstitiose fiunt, & ita delirant.* Hinc subinde superstitiosus vocatur religiosus, vt apud Terent. in Heaut. *Vt stultia & misera omnes sumus religiose.* Melius Lactantius li. 2. c. 28. asserit dici superstitionem de colentibus superstitem memoriam defunctorum, tanquam deorum; aut de ijs qui parentes suos superstites colēbant. Isidorus verò lib. 8. Etym. c. 1. *Superstitio, inquit, dicta est quasi superstatuta & superflua obseruatio.* Et Lucretius apud Seruium in 8. Æneid. *Superstitio, ait, est timor inanis superstantium rerum, puta cælestium & diuinarum quæ super nos stant.* Denique Nonius Marcellus superstitiosos nūcupari censet, quod præ cultura deorum cætera supersedeant, id est negligant; sicut religiosos, quasi relinquēdos, quod cæteris relictis, solis sacrificijs deseruiant. Verius S. August. lib. de Vera religione in fine, religionem nuncupari censet à religando: quia ea fit, vt ipsi (angelis) adiuuantibus ad vnam Deū tendentes, & ei vni religantes animas nostras, vnde religio dicta creditur, omni superstitione careamus. *Ecce vnum Deum colo, vnum omnium principium, & vnam sapientiam qua sapiens est, quacunque anima sapiens est: & ipsum munus quo beata sunt, quacunque beata sunt. Quisquis angelorum hunc Deum diligit, certus sum quod etiam me diligit.* Dicit ergo Paulus. *Video vos, o Athenienses, vbique nimis religiosos & superstitiosos: quia vbique video vestros deos, vota, sacrificia, lumina: illi autem dij Primò, sunt falsi, Secundò, nimis multi, Tertio, incogniti. Nemo enim prudenter colit id quod non cognoscit, quodque ignorat. Ego ergo huc veni, vt superstitionem vestram commutem in veram religionem, vt pro diis falsis agnoscatis & colatis verum, pro multis vnum, pro incognitis certum & notum.*

Præclare S. August. lib. 4. de Ciuit. c. 30. *Agamus, inquit, Domino Deo nostro gratias, qui has superstitiones per altissimam Christi humilitatem, per Apostolorum prædicationem, per fidem Martyrum pro veritate morientium, & cum veritate viuientium, non solum in cordibus religiosi, verum & in adibus superstitiosis libera suorum seruitute subuertit.* Idem

VERS. 22.

Superstitio unde dicta.

Primò.

Secundò.

Tertio.

Quartò.

Quintò.

Moral. contra curiofos.

li. 8. c. 17. Quæ igitur causa est, nisi stultitia errorq; miserabilis, ut ei (Ioui, Veneri, &c.) refacias venerando humilem, qui te cupias esse viuendo disimilem: & religione colas, quem imitari nolis; cum religionis summa sit imitari quem colis: Et c. 23. citans Mercurium Trismegistum docentem, statuas inanimas & insensibiles non esse deos, ac proinde earum cultum casurum, dicentemque: *An ignoras, ait, ð Asclepi, quodd aegyptus imago sit cali, ac verius terra nostra mundi totius est templum? &c. Omnis eorum (Aegyptiorum) sancta veneratio, in irritum casura frustrabitur.* Subdit August. In quo videtur hoc tempus predicere, quo Christiana religio quanto est veracior atque sanctior, tanto vehementius & liberius cuncta fallacia signenta subuertit, ut gratia Saluatoris liberet hominem ab his diis, quos fecit homo; & ei Deo subdat, à quo factus est homo. Quin & Plato in Timæo docet, animos humanos ab opifice Deo temperatos in eodem cratere, ex iisdemque elementis, cum cælestibus animis putà cum angelis & demonibus: vnde cauendum, ne nos illorum seruos velinus, quibus nos fratres Deus & natura coaptauit.

VERS. 23. VIDENS] *ὄντα θεῶν ὄντων*, id est, attentius inspiciens & considerans.

SIMVLACRA VESTRA] *Simulacrum* vsu Ecclesiastico in malam partem sumitur, pro imagine falli numinis, siue idolo. Ita dictum à simulando, quia ex desiderio mortuorum, eorum adinstar effectum est, ut qui iam defecerant, viuere viderentur. Vnde Plautus in Mostel. *Quando natus est, similem esse arbitrarer, simulacrumq; habere.* Sic idolum est simulacrum, quia simulat & mentitur se esse humen. Lactantius tamen li. 2. Instit. cap. 2. simulacrum deducit à similitudo, quod sit simile rei cuius est imago: sed sic potius dicendum esset simulacrum per i.

INVENI ET ARAM IN QVA SCRIPTVM ERAT: IGNOTO DEO] Sic Lucianus in Philopatro ait, Gentiles iurasse per ignotum Athenis.

Quæres, quis hic Deus ignotus? Resp. Primò, S. Chrysoft. & fusiùs Oecum. cuius hic verbanotatu digna ascribam: *Duas, inquit, causas referunt, cur apud Athenienses inscriptum fuerit ara: Ignoto Deo. Siquidem aliqui dicunt, quodd Athenienses Philippidem miserant ad Lacedæmonios de ferendo auxilio, cum Persa exercitum ducerent in Græciam. Quorum nuntijs iuxta Parthenium montem Panis spectrum obuiam factum, Athenienses accusabat, quodd se neglecto alios deos colerent; & auxilium promissit. Cum itaque victoria potiti essent, templum illi erexerunt, aramq; edificarunt, & tanquam obseruantes, ne vel idem sanè, vel aliud simile ipsis accideret, si quempiam ignotum sibi Deum prætermitteret, aram illam erexerunt inscribentes: Ignoto Deo, dicentes: Si quis adhuc alius à nobis ignoretur, in eius honorem hac ara à nobis erecta esto, quod nobis propitius sit, si èt, cum ignoretur, non colatur. Alij verò aiunt, pestem quondam Athenis grassatam fuisse, adeoq; illos exussisse, ut neque sindones tenuissimas possent tolerare. Cum igitur colerent eos, qui apud ipsos dij habebantur, nihil adiumenti senserunt. Intelligentes itaque quemdam fortassis esse Deum, quem ipsi absque honore reliquissent, qui pestem immisisset, noxam extruxerunt aram, ac inscripserunt: Ignoto Deo. Cumq; ipsi sacrificassent, statim curati sunt. Hunc*

Ignotus
Deus quis?
Respondet
Primò.

A ergo Christum, Iesum esse, Deum omnium, dicit Paulus, quem se illis annuntiare dicebat. Tota autem ara inscriptio hæc est: *θεῶς ἄγνωστοῦ καὶ ἐξωτῆς Ἰαβύθ, θεῶ ἀγνώστῳ καὶ ἔξωτῳ.* hoc est, Diis Asia & Europa ac Libya, Deo ignoto & peregrino.

Verum, ut bene obseruat Baron. Athenis multæ fuerunt aræ dijs ignotis in plurali inscripte; sed vna in singulari inscripta fuit: *Ignoto Deo.* Id enim asserit Paulus.

Secundò, Hugo, Lyran. & Sanchez hæc, ac Michael Syncellus in laud. S. Dionysij, censent ignotum Deum Athenis fuisse Christum crucifixum. Cum enim eclipsim factam in morte & ob mortem Christi videret Dionysius, exclamauit: *Deus ignotus in carne patitur. ideoq; mundus his tenebris obscuratur,* ait Syncellus. Deum ergo ignotum esse Deum patientem, putà Christum crucifixum. Huic enim præ cæteris aram erexisse Athenienses, quia magnum putabat illum Deum, cui natura admirabili mutatione luctuque cælesti parentasset.

Tertiò, probabiliùs Baronius, Lorinus & alij censent, Athenienses à Philosophis & Sibyllis, fortè etiam à Iudæis, intellexisse Deum, verum esse inuisibilem, absconditum, sublimem, inaccessible & incomprehensibilem, ideoque illi aram statuisse hoc titulo: *Ignoto Deo.* Idcirco enim Hebræi nomen Dei *Iehouà*, dicebant esse *ἀπύπλον καὶ ἀνεκφώνητον*, id est, ineffabile, ut dixi Exodi 6. 3. Quocirca Clemens Alex. li. 1. Strom. c. 9. & S. August. lib. 1. contra Crescon. c. 29. docent, Athenienses vnum Deum verum, licet sibi ignotum, coluisse. Et S. Hieron. in c. 16. Ezech. ait, Dei maiestatem obscurè saltem Gentilibus istis incognitam non fuisse, ut non erat Iudæis vtentibus ineffabili nomine tetragramato. Vnde Lucan. lib. 2. *Incerti natura Dei: incerti, id est, incogniti.* Quod enim Deus hic ignotus fuerit verus, non falsus aliquis ex dijs Gentium, innuit Paulus cum subdit: *Quod ergo ignorantes colitis; hoc ego annuntio vobis.*

Dices, Cur ergo eos vocat superstitiones? Resp. Primò, eò quod cum Deo ignoto colerent simulacra Gentium, eaque illi æquarent, iuxta illud Isaia 40. 25. *Cui assimilatus me & adæquatus? dicit Sanctus.* Secundò, quod cum vocarent ignotum: nemo enim colit vel amat id, quod non nouit. Nam ignoti nulla cupido. Tertiò, quod verè eum non nosset, uti poterant & debebant. Non enim agnoscebant eum esse creatorè cæli & terræ, datorem pluuiæ, messis, frugum, rerumque omnium: eum esse præsentem vbique: in ipsius manu esse nostram vitam & halitum: vnde de his eos instruit Paulus. Denique poterat sub nomine ignoti Dei latere, & abscondere se diabolus, uti Nicephor. li. 7. c. 50. indicat, argonautas numini eos dirigenti simulacrum posuisse, ac postea S. Michaelem Archangelum Constantino Magno significasse, se eos direxisse. Sic Christus Iohan. 4. v. 22. arguit Samaritas dicens: *Vos adoratis quod nescitis, nos adoramus quod scimus.*

Egregius planè locus de Deo ignoto extat apud Arnobium lib. 1. contra Gentes, ante medium, his verbis: *Prima, inquit, tu causa es. locum rerum ac spatium, fundamentum cunctorum qua-*

sumq;

cumque sunt, infinitus, ingenuus, immortalis, perpetuus, solus quem nulla delineat forma corporalis, nulla determinat circumscriptio qualitatis, expers quantitatatis, sine situ, motu & habitu, de quo nihil dici & exprimi mortalium potest significatione verborum; qui ut intelligaris, tacendum est, atque ut per umbram te possit errans inuestigare suspicio, nihil est omnino mutendum. Da veniam Rex summe, tuos persequeribus famulos; & quod tua benignitatis est proprium, fugientibus ignosce tui nominis & religionis cultum. Non est mirum si ignoraris; maioris est admirationis, si sciaris.

Præclare & Tertull. in Apologetico aduersus Gentes. c. 17. Quod colimus nos, inquit, Deus vnus est, qui totam molem istam cum omni instrumento elementorum, corporum, spirituum, verbo, quo iussit; ratione, qua disposuit; virtute, qua potuit; de nihilo expressit in ornamentum maiestatis sue. Vnde & Greci nomen mundo θεός ac commodauerant. Inuisibilis est, et si videatur: incomprehensibilis, et si per gratiam representetur: inestimabilis, et si humanis sensibus aestimetur. Ad id verus, & tantus est. Ceterum quod videri communiter, quod comprehendere, quod aestimari potest, minus est & oculis, quibus occupatur; & manibus, quibus contaminatur; & sensibus, quibus inuenitur. Quod verò immensum est, soli sibi notum est hoc quod est: Deum aestimari facit, dum aestimari non capit. Ita enim vis magnitudinis & notum hominibus obiecit & ignotum. Et hæc est summa delicti volentium recognoscere, quem ignorare non possunt. S. Cyrill. li. 1. contra Iulian. Hermes Trismegistus, inquit, dicit, Deum intelligere quidem difficile, eloqui autem impossibile. Incorporum enim corpore significare impossibile, & perfectum imperfecto comprehendere non possibile, & sempiternum conferre cum momentaneo difficile. Proinde si quis incorporeus oculus egrediat a corpore ad contemplationem pulchri, & subuolens ac contempletur, non figuram, non corpus, non species intueri quærens, sed illud potius, quod omnia facere potest, quod quietum, quod tranquillum, quod solidum, quod inconuertibile, quod ipsum omnia & solum, quod vnum, quod ipsum ex seipso, quod ipsum in seipso, quod sibi ipsi simile, neque alij simile. Omnis enim virtus ipse est, neque in aliquo ipsum cogites esse, neque iterum quasi extra aliquem. Ipse enim est qui sine termino, omnium est terminus; & qui a nullo comprehenditur, omnia in se comprehendit. Et paulo post: Adhæc & sapientissimus Xenophon: Igitur manifestum quod magnus sit & potens, omniaq; concutiat & confirmet, ignotum autem qualis sit figura: neque enim videtur esse lucidissimus sol: neque hic videtur permittere, ut ipse cernatur: sed si quis impudenter eum spectet, oculo priuatur. Hæc Cyril.

Simonides ab Hierone tyranno rogatus, quid esset Deus? petijt diem ad cogitandum, mox biduum, deinde quatrimum, postea octiduum, &c. Mirante Hierone, causamque rogante: Quia inquit, quanto diutius considero, tanto mihi res videtur obscurior. ita Cicero li. 1. de Natura deorum.

Quartò, per Deum ignotum aliqui accipiunt Deum in carne apparitum, putà Christum incarnandum. Potuerunt enim Athenienses ex Sibyllis, & ab Hebræis discere futuram Christi incarnationem, illique aram statuere hoc titulo: Ignoto Deo. Christus enim ante eam homini-

bus fuit ignotus & incognitus. Id verum est, si vera sunt quæ scribit Hilduinus Archiep. Rhenensis in vita S. Dionysij. Sic enim ait: Dum Paulus singula altaria & simulachra falsorum deorum perlustrasset, inter ceteras aras reperit altare vnum cui erat titulus superscriptus: Deo ignoto; & conuersus ad eum Paulus interrogauit illum dicens: Quis est ille Deus incognitus? Ad quem Dionysius: Adhuc, inquit, non est ipse Deus demonstratus inter deos, sed est incognitus nobis, & seculo venturo futurus. Ipse enim est Deus qui regnaturus est in celo & in terra, & regnum eius non accipiet finem. Subiungens itaque Paulus ait: Homine erit an spiritus? Respondens Dionysius dixit: Verus Deus & verus homo, & ipse renouaturus est mundum; sed adhuc incognitus est hominibus: quoniam apud Deum in celo eius conuersatio est. Et ait Paulus: illum Deum prædico vobis, quem incognitum appellatis. Natus enim ex Maria Virgine, passus sub Pontio Pilato, pro salute humana mortuus resurrexit, celosq; ascendens sedet à dextris Dei Patris: verus Deus & verus homo, per quem facta sunt omnia: & venturus est in fine sæculi iudex omnium quæ geruntur: qui notus est iam in Iudæa Deo, & magnè in Israel, & sanctum nomen eius. Quamobrem quem incognitum vsque nunc habuistis, modò cognoscite: quia ipse est Deus solus, & præter eum non est alter: qui nos de morte sanguinis sui pretio reduxit ad vitam: qui calum & terram, hominem scilicet & angelos, in vnitatem regni sui conunxit: qui mortificat iustus, & viuificat pius: qui claudit & nemo aperit, aperit & nemo claudit. Subdit Hilduinus, hisce alijsque Pauli verbis Dionysium fuisse conuersum, & Christi amore accensum, præsertim ubi vidit cæcum à Paulo illuminari. Verum huius narrationis fides sit penes Hilduinum: nonnullis enim videtur apocrypha.

Moraliter discere hinc Dei celsitudinem, qua omnium angelorum hominumque aciem superat & transcendit. Inhabitat enim lucem inaccessibilem: quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest (per oculos aciemque mentis & naturæ) 1. Timoth. 6. 16. præsertim si SS. Trinitatem in vna indiuidua essentia vnitatem spectemus, si mysterium incarnationis, passionis, Eucharistiæ consideremus. Vnde Iaias cap. 45. 15. Verè tu es Deus absconditus, Deus Israel Saluator. Et Psaltes psal. 17. 12. Qui posuit tenebras latibulum suum. Quocirca Seraphini velatis oculis acclamant ei: Sanctus, sanctus, sanctus, Iaiæ 6. 3. Causas duas dat Seneca lib. 7. Natur. quæst. c. 3. 1. Prior est: Quia, inquit, illi tanta subtilitas & claritas est, quantum consequi acies humana non potest. Altera, quia in sanctiori secessu maiestas tanta delituit. Adde Tertiam, ex Damasceno: Cognitio, inquit, eorum est, quæ sunt: at Deus super ipsum esse est. Ergo & super atque extra notitiam, quia super essentiam. Et Quartam, quia quaquauersum infinitus est & immensus, siue substantiam, siue potentiam, siue sapientiam, siue cætera attributa spectes. Audi Senecam lib. 2. Quæst. c. 45. Vis illum fatum vocare? non errabis. Hic est ex quo suspensa sunt omnia, causa causarum. Vis illum prouidentia: rectè diceres: est enim cuius consilio huic mundo prouidetur, ut inconcussus eat, & actus suos explicet. Vis naturam vocare? non peccabis: est enim ex quo nata sunt omnia, cuius spiritu viuimus. Vis mundum? ipse enim est

Moral. de incomprehensibilitate Dei.

Quartò.

est totum quod vides, totus suis partibus inditus, & se sustinens vi sua.

Diuinius S. Dionys. c. 15. Cælestis hierarchia asserit Deum comparari vento, imò ambulare super pennas ventorum, propter vim mouendi & animandi, ac celerem insuperabilemque discessum, atque nobilium principiorum & finium incognitas & inuisibiles latebras. Et S. August. li. 10. Confess. c. 6. Domine, inquit, amo te. Percussisti cor meum verbo tuo, & amauit te. Sed & celum & terra & omnia qua in eis sunt, ecce vndique mihi dicunt, vt te amem, nec cessant dicere omnibus, vt sint inexcusabiles. Altius autem tu misereberis, cui miserus eris; & misericordiam præstabis, cui misericors fueris. Alioquin celum & terra surdis loquuntur laudes tuas. Quid autem amo, cum te amo? non speciem corporis, nec decus temporis, nec candorem lucis ecce istis amicis oculis, non dulces melodias suauium cantilenarum omnimodarum, non florum, & vnguentorum & aromatum suaueolentiã, non manna & mella, non membra acceptabilia carnis amplexibus. Non hac amo, cum amo Deum meum: & tamẽ amo quamdam lucem, & quamdam vocem, & quemdam odorem, & quemdam cibum, & quemdam amplexum, cum amo Deum meum, lucem, vocem, odorem, cibum, amplexum interioris hominis mei: vbi fulget anima mea, quod non capit locus; & vbi sonat, quod non rapit tempus; & vbi olet, quod non spargit status; & vbi sapit, quod non minuit edacitas; & vbi hæret, quod non diuellit satietas. Hoc est quod amo, cum Deum amo. Et quid est hoc? Interrogauit terram, & dixit: Non sum: & quecunque in eadem sunt, idem confessa sunt. Interrogauit mare & abyssos, & reptilia animarum viuarum, & responderunt: Non sumus Deus tuus, quare super nos. Vidit id per vmbra Valerius Max. li. 2. c. 7. Quidquid, inquit, in excelso fastigio positum est, humili & trita consuetudine, quod sit venerabilis, vacuum esse conuenit. Et Iamblicus Protrept. c. 3. Dei cognitio, inquit, est perfecta felicitas, quam in hac vita nancisci non possumus. Clemens Alex. lib. 5. Strom. citat & laudat hæc Orphei de Deo carmina;

Vnus perfectus per se, ex vno omnia facta.

— Nullus & ipsum

Mortalis cernit, verum omnes afficit ipse.

Non video hunc, solidus positus nam nimbus in orbem est.

Et Cleanthis Stoici, qui Deum ita pingit:

Quod ordinatum est, religiosumq; ac pium,

Iustum, sui potens, decorum ac vile:

Quod est seuerum, graue, semper conducibile,

Expers metus, doloris & molestia,

Iuuans, placens, pulchrè sibi consentiens,

Clarum, nec insolens; modestum & vehemens,

Quod permanet, potest nec quis imitari.

Hæc est diuina caligo, quam graphicè depingit S. Dionys. lib. de Mystica Theol. c. 1. & sequent. Vbi & summum animæ in Deum ascensum vocat caliginem & lumen: caliginem animæ, lumen Deo. Ex quo Taulerus, Sufo, Ruisbrokius, & alij contemplatiui, sua contemplationis dogmata de intranda Dei caligine hauserunt.

QVOD ERGO IGNORANTES COLITIS, HOC EGO ANNUNTIIO VOBIS] q. d. Non sum nouorum dæmoniorum annuntiator, vt vos obijcitis; sed Deum vestrum vobis annuntio, atque ex igno-

to facio notum. Hinc patet Deum ignotum Athenis, fuisse Deum verum: alioqui enim cum refutare debuisset Paulus, ei que substituere Deum verum: sicut Constantinus Magnus Imp. fanum ab argonautis erectum Numini salutifero, indeque Sosthenium appellatum, conuertit in Michaelium, id est S. Michaelis templum, teste Nicephoro lib. 7. c. 50. eò quòd S. Michael argonautas iuisset, non Iupiter, aut aliud Numen, vt argonautæ putabant. Id enim S. Michael apprensus Constantino asseueravit.

DEVS QVI FECIT MVNDVM] Taxat Epicuræos, negantes Deum Dei que prouidentiam; & Stoicos, qui mundum fato aut natura existere censebant. Vtrique enim negabant, Deum liberum liberè creasse mundum. ita Chrylost. Ex creatione ergo & opificio mundi agnosci potest, & coli debet creator eius Deus. Cali enim enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annuntiat firmamentum, psal. 18. 1. Quin & Euripides: Stella, ait, in celo, sunt varietas sapientis fabri, nimirum Dei. Vide S. August. lib. 7. Ciuit. cap. 29. vbi præcipua Dei opificis opera enumerat & celebrat.

NON IN MANUFACTIS TEMPLIS HABITAT] quasi corporeus templis corporeis delectetur, is que sit alligatus, conclusus & circumscriptus; sicut rex habitat in regio palatio, eius que ambitu circumscribitur. Deus enim loco non alligatur, multo minùs terminatur; sed super omnes caelos per immensa vacui spatia se extendit.

Ita S. Iustinus Philosophus & Martyr, centum annis S. Paulo posterior (obiit enim martyrium anno Domini 165. teste Baronio) rogatus ab vrbis præfecto, quem in locum solebant Christiani conuenire? respondit, eò conuenire quemque, quòd vellet & posset. Christianorum enim Deus, inquit, nullo loco circumscribitur: sed cum sit inaspectabilis, celum & terram implet, & vbi que à fidelibus adoratur, & eius gloria celebratur. Adiecit tamen, se diuersari in thermis Timothinis, siue Nouatianis (que erat domus Pudentis senatoris, & commune hospitium aduenarum Christianorum, nunc est ecclesia S. Pudentianæ. Pudens enim fuit pater S. Timothei, Nouati, Praxedis & Pudentianæ.) Quòd si quis, ait, ad me venire voluit, cum eo veritatis doctrinam communicauit. Ita habet eius vita & martyriù, quod ex Actis publicis recenset Baron. anno Christi 165. licet Chronicon Alexand. quod post mortem Baronij edidit nofter Raderus, asserat Iustinum martyrium obiisse anno ab ascensione Christi 135. qui fuit à natiuitate eiusdem 168.

Clemens Alexand. li. 5. Strom. citans hanc Pauli sententiam, eam confirmat dicto Euripidis:

Constructa ab architectis, qua queat domus

Corpus Dei plexu cohibere manium?

Et Zenonis, dicentis non oportere templa facere, nec imagines: nihil enim quod sit compositum esse dijs dignum. Et Platonis, dicentis Deum eminens habitare in idearum regione, ac mundum esse Dei templum: quare prohibuit, vt nemo priuatim haberet deorum imagines. Nam aurum & argentum, ait, priuatim, & in sacris est res inuidiosa: ebur autem quod amisit animam, est nefarium donarium: ferrum verò & as, sunt instrumenta vellorum. Ex ligno autem quod

vno ex ligno est compactum, quodcumque voluerit offerat: similiter etiam ex lapide quoque ad sacra communia. Hæc Plato.

VERS. 25. NEC MANIBVS HVMANIS COLITVR] vt ei per manus hominum fabricentur, erigantur & dedicentur statuae, idola, aræ & fana, in quibus ei sacrificia carnea offerantur: quasi idola sint membra & corpus Dei; aræ & fana sint eius domus & palatia; sacrificia sint eius cibus & delicia, vt censebant Gentiles. His tamen non obstat, quin Deus ritè à Christianis coli possit in imagine & statua: quia sciunt Christiani Deum non pendere ab imagine; sed imaginem merè esse imaginem, quæ Deum hominibus qui sensu ducuntur, repræsentet. Vide dicta Deut. 5. 8. Olim tamen cum Gentiles transfirent ad christianismum, Patres studiosè cauebant imagines ac magis statuas Dei, ne Gentiles recens conuerfi, ex pristina consuetudine colerent eas vt deos. Vnde imaginem Dei fieri vetat Lactant. lib. 2. c. 2. & Iustin. Apolog. 2.

Syrus vertit, nec per manus hominum ministratur ei. Solebant enim Gentiles suis dijs exhibere talia ministeria, qualia famuli exhibent suis heris, præsertim regibus, excitando eos, vestiendo, comendo, lauando, cibum potumque porrigendo, perinde ac si dij eorum homines fuissent, vt reuera Iupiter, Venus, Mars, Mercurius, & cæteri homines fuerunt potentes, sed tyranni & scelerati. Vide S. August. li. 6. de Ciuit. c. 10. Deus ergo hoc manuum ministerio non indiget, nec officijs humanis colitur, sed angelicis ministerijs, iuxta illud Daniel. 7. 10. *Millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei.* Quocirca Christus Iohan. 4. 24. *Spiritus est Deus, inquit, & eos qui adorant eum, in spiritu & veritate oportet adorare.*

INDIGENS ALIQUO, CVM IPSE DET OMNIBVS VITAM ET INSPIRATIONEM (spiritum, siue halitum vitalem) ET OMNIA] Omnibus, intellige accommodè, putà eis quæ habent vitam: nec enim Deus dat vitam saxi. Rursus vitam accipe amplè pro qualibet vita, etiam vegetatiua & sensitiua. Minus ergo rectè Lyran. vitam limitat ad angelicam & spiritalem. Per inspirationem, græcè πνοή, accipe halitum, spiritum, vel, vt Syrus, animam sensitiuam: quæ enim hanc habent, respirant, ita Caiet. Porro rectè Chrysof. id limitat ad animam rationalem, quam Deus inspirauit Adæ Genes. 2. 7. Ed enim alludit Paulus: agit enim de hominibus, vt iam dixi. Simili modo Plato, Speusippus & Apuleius apud Rhodiginum lib. 12. c. 2. Deum ita definiunt: *Deus est viuens immortale, per seipsum ad beatitudinem sufficiens, essentia sempiterna, ipse boni causa, ens incorporeum, aperimetron, beatum, beatissimum, omnium pater, optimum, nulla re indigens, cuncta conferens.* Porro Deus omnium entium est causa, Primò, efficiens; Secundò, finalis; Tertio, exemplaris. Hinc Timæus Pythagoricus Deum vocat mundum exemplarem: quia ipse est maximus mundus sapientiæ, sanctitatis, intelligentiæ, vitæ, rationum, formarum, specierum & rerum, quas omnes in se complexus seruat & continet; non secus ac mundus nos, & omnia rerum generum suo ambitu cingit: cuius rei pulchrum Ægypti-

orum hieroglyphicum affert Eusebius, lib. 3. de de Præparat. Euangel. c. 3.

Quamobrem mundus est Dei liber, vt aiebat S. Antonius, Dei tabula, Dei carmen & canticum, vt ait S. Paulinus Natali 9. S. Felicis, Deum assidue laudans, & omnibus gentibus eius maiestatem & beneficentiam deprædicans: quòd fit, vt nemo tam rudis sit & barbarus, qui si in cælum suspexerit, Deum rectorem non videat, non sentiat, eumque velut ex vngue leonem, ex linea Apellem deprehendat. Deus enim est quasi sol immensus & beneficentissimus, qui omnia suo lumine illustrat, omnia suo calore vegetat, omnia sua omnipotentia creat & producit. Hac de causa hebr. vocatur *Saddai*, id est mammeus, cornucopiæ, sufficientissimus, liberalissimus. Vide dicta Genes. 17. v. 1. Idem viderunt Gentiles, qui Isidem deam mammosam, id est totam ex vberibus confectam, pingebant, vt terræ omnium parentis & altricis fecunditatem repræsentarent. Errarunt: nec enim Isis est dea, nec terra ex se mammosa; sed omne quod habet, accipit à Deo. Deus ergo est totus vber, totus mamma, assidue lacte beneficentiæ suæ alens terram, plantas, animantes & homines. Hinc Apuleius Metam. lib. 11. *Deus, inquit, dulcem matris affectionem miserorum casibus tribuit, nec dies, nec quies vlla, ac ne momentum quidem tenue eius transcurrit beneficii otiosum.* Rursus Ægyptij, ait Horus Apollo lib. 1. Hieroglyph. cap. 6. Deum volentes significare pingebant accipitrem: tum quòd fecundum sit, ac diurnæ vitæ hoc animal: tum quòd solis sit simulacrum, utpote intensissimis oculis in eius radios prospiciens. Sol autem est visibile Dei hieroglyphicum. Pulchrè Horat. lib. 1. Carmin.

*Qui res hominum ac deorum,
Qui mare & terras, variisq; mundum
Temperat horis.*

Sublimiùs noster Boëthius lib. 3. de Consolat. metro 9.

*O qui perpetua mundum ratione gubernas,
Terrarum celiq; sator, qui tempus ab æuo
Ire iubes, stabilisq; manens das cuncta moueri.*

Et S. Dionys. de Diuinis nom. cap. 9. *Magnus, ait, Deus dicitur, tum ex sua magnitudine, qua se & cum omnibus quæ magna sunt communicat, & per omnem magnitudinem diffundit atque extendit; locum omnem continet, omnem numerum superat, omnem infinitatem transilit: tum ex summa vi actionisque magnitudine, ac muneribus, quæ ipso quasi fonte manant, quatenus cum omnibus infinita profusione communicata, tamen integra manent, eademq; habent multitudinis exuberantiam, nec communibus minuuntur, sed potius etiam redundant & superant.*

ET OMNIA] Græcè, πάντα, id est, secundum omnia, scilicet principia & organa requisita ad vitam & respirationem, ait Caiet. Verum pro πάντα legendum est τὰ. Sic enim legit S. Chrysof. vertens vt Noster, & omnia. Quocirca Clemens Alexand. li. 3. Pædagogi, *Laudemus, inquit, vnum Patrem & Filium vna cum Spiritu sancto, qui vnus est omnia, in quo omnia, per quem omnia, qui est vnde quaque bonus, vnde quaque pulcher, vnde quaque sapiens,*

Mundus est
Dei liber
& carmen.

sapiens, vnde quaque iustus: cui gloria nunc & in se-
cula. Et S. August. serm. 19. in Iohannem: Deus
tibi totum est: si esuris, panis: si sitis, aqua tibi est: si in
tenebris es, lumen tibi est: si nudus es, immortalitatis
tibi vestis est. Idem in psalm. 26. Quidquid prater
Deum est, dulce non est. Quidquid mihi vult dare
Dominus meus, auferat totum, & se mihi det. Sapi-
dè Psaltes psalm. 144. Magnus Dominus & lau-
dabilis nimis; & magnitudinis eius non est finis. Ge-
neratio & generatio laudabit opera tua, & poten-
tiam tuam pronuntiabunt. Magnificentiam gloria
sanctitatis tue loquentur, & magnitudinem tuam
narrabunt. Memoriam abundantie suauitatis tue
erectabunt, & iustitia tua exultabunt. Suavis Do-
minus vniuersis, & miserationes eius super omnia o-
pera eius. Confiteantur tibi omnia opera tua, & San-
cti tui benedicant tibi. Omnia enim sua sponte
auctorem repetunt suum. Natura enim duce
referuntur ad Deum à quo nascuntur, vt vnde
vitam hauserunt, vitæ etiam, & gloriæ alimen-
ta percipiant, origini semper inhaerentia suæ.
Quocirca appositè Deum definiens Cassiodo-
rus in psalm. 47. Deus, ait, est virtus inexplicabilis, pie-
tas incomprehensibilis, sapientia ineffabilis, cuius de-
finitio est finem in Sanctorum laudibus non habere.
Hæc est ergo Christi & Pauli philosophia, ac
Theologia vera & pia, quæ docet nos ex nobis
nihil habere, sed omnia à Deo; quam calluit
S. Franciscus, qui crebrò orando ingeminabat:
Domine quis tu? quis ego? Tu omnia, ego nihil: tu
abyssus entis & boni, ego abyssus nihili & mali. Tibi
ergo me abyssali humilitate & reuerentia prosterno,
Deus meus & omnia.

VERS. 26. FECITQUE EX VNO] Græca addunt sanguine:
qui ex vno sanguine & carne Adæ protoplasti,
propagati sunt & descendunt omnes homines:
sanguine ergo, id est homine, per synecdochen.
Sanguis notat modum propagationis, videlicet
per generationem, quæ fit per semen, quod non
est aliud quàm sanguis magis concoctus, ideoq;
purior & nobilior. Cur Deus voluerit omnes
nasci ex vno, causam dat S. August. lib. 12. Ci-
uitat. c. 21. Vt eo modo vehementius homini commē-
daretur societatis vnitas vinculumq;, concordia, si non
tantum inter se natura similitudine, verum & cog-
nationis affectu homines nequerentur; ideoque E-
uam ex Adamo produxit.

INHABITARE SVPER VNIVERSAM FACIEM (id
est, superficiem) TERRAE] Tota enim terra est
habitabilis & habitata: vnde aduersam nobis
terram incolūt Antipodes. Vide dicta Gen. 10.
q. d. Deus non tantum creauit homines, sed &
eos assidue gubernat, locumque & tempus vitæ
cuilibet definit.

DEFINIENS STATVTA TEMPORA] q. d. Deus
præfinit cuique homini, genti & regno suam
temporis & ætatis mensuram, vt videlicet ho-
mo viuat septuaginta aut octoginta annis, psal.
89. 10. vt hi homines primò nascantur & im-
perent, deinde illi & illi: vt primam monar-
chiam obtineant Assyrii, secundam Persæ, ter-
tiam Græci, quartam Romani. Notat Paulus
Athenienses, qui se omnium hominum anti-
quissimos & primos iactitabant, vocabantque
αὐτοχθόνες, id est, terrigenas, à terra sua prognatos.
ita Cicero orat. pro Flacco.

A ET TERMINOS HABITATIONIS EORVM] q. d.
Deus præscripsit cuique genti terminum tam
temporis, quàm loci in quo habitet, ne vicini lo-
cum occupet, vel inuadat. Hoc est quod canit
Moses Deuter. 32. 8. dicens: Constituit terminos
populorum iuxta numerum filiorum Israel.

QVAERERE DEVM] q. d. Hoc sine homines ita
distribuit, & moderatur per tempora & loca
Deus, vt eum inuestigent & quærant, cogno-
scant, ament & colant. Mundus enim est quasi
animal, cuius spiritus & velut anima est Deus;
oculi sunt luna & sol: hepar, venæ, sanguis &
phlegma sunt fontes, venæ & flumina: proles
sunt arbores, herbæ, flores, animalia, homines:
quæ omnia viuificat, vegetat, fouet aliq; Deus.
Vnde ex ijs facile inueniri & cognosci potest.
Vide Theodor. sermonibus decem, quos erudi-
tè scripsit de Dei prouidentia siue de Numine;
B & nostrum Lessium de eodem argumento; &
Ciceronem lib. 2. de Natura deorum; ac fan-
ctum Anselmum in Monologio & Profologio.
Plato in Cratylo ait ἄλιον, id est solem, vocari
à conuersione, quòd suis radijs, luce, calore, ef-
ficacitate, omnes res omniumque oculos ad se
conuertat: multò magis id facit Deus, qui est
sol immensus tum lumine, tum calore, tum be-
neficentia in omnes & omnia. Verè sanctus
Iustinus apud Damascenum libro primo Para-
lip. cap. 65. Vt corporis bonum, inquit, est sanitas, sic
anima bonum, est Dei cognitio: quæ est velut quadam
anima sanitas, per quam diuina similitudo comparã-
tur. Idem apud Antonium in Melissa li. 2. serm.
43. Finis philosophanti est, Deo, quoad eius fieri potest,
asimilari.

C SI FORTE ATTRECTENT EVM] Græcè, φηλα-
φύσσειαν, id est, palpent eum, sicut cæcus in tene-
bris palpando prætentat iter & locum. ita Pa-
gnin. Vatabl. & alij. Significat Deum à nobis in
hac vita videri & clarè cognosci non posse, nos-
que quasi cæcos palpando vestigia Dei, putà
creaturas, ad eius notitiam peruenire. Sicut e-
nim cæcus palpando peruenit ad locum quò
tendit, ita nos palpando & vestigando creatu-
ras, peruenimus ad Deum earum creatorem.
Verè S. August. epist. 120. ad Honoratum c. 3. &
tract. 1. in Iohan. Quomodo, inquit, homo positus in
sole cæcus, præsens est illi sol. sed ipse soli absens est:
sic omnis stultus, omnis iniquus, sic omnis impius
cæcus est in corde; præsens est illi sapientia, sed
cum cæco præsens est, oculis illius absens est: non
quia ipsa illi absens est, sed quia ipse ab illa absens
est. Idem proportionaliter dicas de quouis ho-
mine, etiam iusto: omnis enim respectu Dei cæ-
cus est. Licet enim Deus totus sit lux, tamen
sibi soli est lux, qua omnia clarissimè perspicit,
nobis verò est lux transcendens & inaccessibili-
s. Tiberius Cæsar ita lucidos habebat oculos, vt
in tenebris per eorum lucem videret omnia vi-
cina, ait Suetonius in eius vita. longè lucidiores
oculos habet Deus: omnia ergo videt à nemine
videtur. Sensus ergo est, si fortè homines Deum
attrectent, non tactu corporeo, sed metapho-
rico & mentali, hoc est, si mente attingant, in-
ueniant, & cognoscant Deum, vt eum veneren-
tur, ament & inuocent: cognoscant, inquam,
ex eius operatione, & productione frugum re-
rum.

rumque omnium. Sicut enim cæcus si in syluis densissimis, vel in domo plenissima sit, si vel leuiter se commoueat, in arbores, parietes, resue alias impinget: sic vbiq; homini occurrat, imò incurfat Deus. Quis enim si penitiùs suum corpus, eiusque membra & organa, tot tamque varia; si suam animam, eiusque sensus, potentias, motus & actiones; si suum esse, tam mirum & multiplex consideret, maximè cum qua ratione hæc facta sint & fiant, non intelligat; si cò non colligat, esse numen intra se, quod fabricam hanc inlitar horologij, tot machinis & organis instructam fabricarit, ordinarit, tueatur & moderetur; quod admirabiles illos motus cieat, quod harmoniam illam stupendam corporis & animæ, sensuumque & membrorum, mentis & carnis inter se diuina arte misceat, contemperet & arctissimè in vnum compositum consociet? ita Sanchez. In omni enim re motuque ad aliquod principium immobile, quasi ad primam causam deueniendum est. Vnde Plato in Timæo, Deum definit esse vnum idem, & semper sui simile, vnum omnium ptincipium ingenitum. Si enim esset genitum, vtique non esset principium; sed ab alio principio productum. Vide S. August. 8. Ciuit. c. 6.

QUAMVIS] καὶ ὅπου, id est quamuis, vel nam. Vnde Syrus vertit, quandoquidem, illudque hinc valdè est appositum. q. d. Facile est inuenire Deum, quandoquidem ipse non longè est ab vnoquoque nostrum. Nolter tamen, Pagnin. Tigur. & alij vertunt quamuis: hoc ergo sequamur & exponamus.

QUAMVIS NON LONGE SIT AB VNOQUOQUE NOSTRUM] Nequis putaret ex eo quod dixerat Paulus, querere Deum, si forte attrectent eum, aut inueniant, Deum esse à nobis absentem; absentia enim querimus & inuenimus; quasi corrigendo id explicat subdens, Deum non longè abesse ab vnoquoque nostrum, tum situ & loco, tum potius operatione: ex hac enim facile est attrectare & cognoscere Deum, utpote qui nobis det vitam, motum, alimenta & omnia, vt sequitur. q. d. Sicut mare non longè est à piscibus, quia pisces in eo & ex eo generantur, aluntur & viuunt; vnde illud sentiunt: ita Deus non longè est à nobis, quia in eo, & ex eo quasi mari bonorum omnium haurimus vitam, motum & omnia: ex quo facile est eum attrectare & cognoscere. Esto enim ipse sit spiritus inuisibilis, tamen per effectus hosce suos se hominibus cæcis cognoscendum & quasi palpandum exhibet. Deus, inquit S. August. lib. 7. Ciuit. c. 30. vbiq; totus, nullis inclusus locis, nullis vinculis alligatus, in nullas partes scissilis, ex nulla parte mutabilis, implens celum & terram presente potentia, non absente natura. Ab hoc vno & vero Deo vitam speramus æternam. Solerter notat Gabriel Valquez i. p. disp. 28. c. 4. n. 17. Paulum hinc directè & ex proposito non agere de immensitate Dei, sed quam facillè à nobis ex operibus suis attrectari, non manibus, sed mente, hoc est, cognosci & coli possit. Est enim Deus nobis operatione sua vicinus, imò intimus, sicut aër, in quo viuimus, quemque respirando attrahimus. Sicut ergo aërem respirando quasi palpamus & sentimus, dum ille nos

Cornel. in Acta Apostol.

A refrigerat; ita Deum in nobis operantem cognoscimus, & quasi attrectamus. Quare minus rectè Caietan. & alij ex hoc loco colligunt, quòd Deo ratio & fundamentum existendi in rebus, sit ipsa eius operatio, sicut in corporibus quantitas est ratio replendi locum. Operatio enim est signum & effectus præsentia Dei & angeli, non causa. Prius enim est Deum, vel angelum alicubi esse præsentem, quàm ibi operari, imò sòpè est præsens angelus, & nihil operatur. Paulus ergo ait hinc potius de præsentia operationis diuinæ. q. d. Sentimus Dei in nobis operationem: nam ipse operatur in nobis vitam, motum & existentiam: in ipso enim viuimus, mouemur & sumus: ergo non est nobis ignotus, vt vos Athenienses putatis, sed facillimè ex operatione sua cognosci & attrectari potest. Verum tamen est, operationem Dei coniunctà esse cum præsentia substantia diuinæ, eamque præsupponere: quia enim Deus est immensus, hinc vbiq; est præsens secundum substantiam, nec vquam operari potest, nisi sit præsens, eò quòd id exigat, non operatio, vel modus operandi Dei, sed eius immensitas. Si enim operaretur alicubi vbi non est, non esset immensus, ac consequenter non esset Deus, nec operari posset vt Deus. Porro ex operatione sentiri & attrectari potest Deus, non ex præsentia, cum sit spiritus & inuisibilis. Omnia hæc significat hinc Paulus Sensus ergo est, q. d. Deus adest nobis, etsi à nobis non videatur. Est enim immensus & vbiq; vnde & vbiq; operatur, omnibusque se cognoscendum exhibet. Ex operatione ergo cognoscere potestis Deum, id est, primam causam, primum & immensum ens. Hoc enim sicut vbiq; est, ita vbiq; operatur. Secus est de sole, qui absens in distantia operatur, quia non est immensus. Adde, sicut locum, puta aërem sentimus per respirationem, refrigerium vel calorem; ita & Deum. Deus enim est locus locorum. Hunc sensum mox magis explicabo.

IN IPSO ENIM VIVIMUS, MOUEMUR ET SUMUS] Non quasi in ipsa Dei substantia siti simus, eiusque simus pars, vti quidam stolidè imaginati sunt, ait S. Cyrill. lib. 9. in Iohan. c. 40. S. August. lib. 4. de Genes. ad liter. c. 12. Sed Primò, in ipso, id est, per ipsum, ait S. Cyril. Probat enim Paulus Deum dare omnibus vitam, inspirationem & omnia ex eo, quòd in ipso, id est per ipsum, viuamus, moueamur & sumus. Ergo sumus in ipso tamquam in causa efficiente, & conseruante, hoc est, continuò quasi creante: conseruatio enim est continuatio creationis, & continua creatio. Deus enim conseruat animam, vitam, motum, sensum & essentiam nostram, ea semper in nos influendo, sicut primitus ea creauit; perinde ac sol suos radios conseruat, iugiter eos emanans & producens.

Secundò, concomitanter sumus in ipso, tamquam in còtinente & loco diuino, vti iam dixi. Propè est, ait Seneca epist. 41. à te Deus: & cum est, intus est. Sacer intra nos spiritus sedet. Deus enim sicut est æuum æuorum, ita est & spatium spatiorum, & locus locorum, sine quo nullus locus est, vel esse potest. Sicut enim omne esse manat ab essentia Dei, & omne tempus, omnisque du-

An operatio sit ratio presentia Dei?

VERS. 18.

In Deo sumus Primò.

Secundò.

ratio manat ab æternitate Dei; ita & omne spatium omnifque locus manat ab immensitate Dei, uti eruditè docet noster Lessius lib. de Attributis diuin. agens de immensitate Dei. Deus ergo est quasi mare quoddam immensum per infinita spatia extensum, in quo mundus & omnia quæ in eo sunt, innatant, quasi spongia in oceano, ait S. August. lib. 7. Confess. c. 5.

Quocirca doctè & eleganter S. Gregorius Dei immensitatem describens lib. 2. Moral. c. 8.

Immensitas Dei descriptio.

Ipsè, inquit, manet intra omnia, ipse extra omnia, ipse supra omnia, ipse infra omnia: & superior est per potentiam, & inferior per sustentationem, exterior per magnitudinem, interior per subtilitatem: sursum regens, deorsum continens, extrà circumdans, interior penetrans: nec alia ex parte superior, alia inferior, aut alia ex parte exterior, atque alia manet interior; sed vnus idemq; totus vbique presidendo sustinens, sustinendo presidens, circumdando penetrans, penetrando circumdans: vnde superius presidens, inde inferius sustinens; & vnde exterius ambiens, inde interior replens: sine inquietudine superius regens, sine labore inferius sustinens, interior sine extenuatione penetrans, exterius sine extensione circumdans. Est itaque inferior & superior sine loco, est amplior sine latitudine, est subtilior sine extenuatione.

Et Minutius Felix in Octauio respondens Gentilibus, obuiantibus Christianos Deum colere, quem non videbant: *Imò, inquit, ex hoc Deum credimus, quod eum sentire possumus, videre non possumus. In operibus enim eius, & in mundi omnibus virtutem eius semper presentem aspiciamus, cum tonat, fulgurat, fulminat, cum serenat. Et mox: Qui ipsum solis artificem, ipsum luminis fontem possis sustinere, cum te ab eius fulgoribus auertas, a fulminibus abscondas? Et inferius: Vbiq; non tantum nobis proximus, sed infusus est. In solem adèd rursus intendente: calo affixus, sed terris omnibus sparsus est: pariter presens vbique interest, & miscetur omnibus (nusquam enim claritudo violatur) quanto magis Deus auctor omnium, ac speculator omnium, à quo nullum potest esse secretum, tenebris interest, interest cogitationibus nostris, quasi alteris tenebris: Non tantum sub illo agimus; sed cum illo, ut propè dixerim, viuimus.*

In Deo ergo, quasi in æthere infinito viuimus & mouemur, intra illum stamus & habitamus: ille nos penetrat sua essentia & substantia, penetrat totum corpus, & totam animam nostram, omnesque eius sinus, angulos & latebras: extra illum exire non possumus, quia vbique est: & quia est immutabilis, vbi semel est, semper est. Hac de causa signanter ait Paulus: *In ipso viuimus, non per ipsum, ut significaret Deum ita esse causam efficientem nostræ vitæ, ut sit etiam localis & quasi materialis, utpote qui omnem corporis vitæ & essentiæ materiam, totumque subiectum nobis subministrat, perinde ac mare suppeditat piscibus, sed longè potiori ratione. Deus enim materiam creauit ex nihilo, & conseruando quasi cōtinuò creat: mare verò creatam à Deo accipit, & piscibus impertit. Sicut ergo pisces ita viuunt in aqua, & ex aqua per naturalem sympathiam & dependentiam, ut extra eam viuere nequeant: sic nos in Deo & ex Deo viuimus, ut extra eum viuere non possi-*

Amus, adèd ut si per impossibile Deus non existeret in nobis, siue in loco in quo sumus, nos in eodem existere & subsistere nō possemus. Sicut enim nostra substantia pendet à substantia Dei: sic nostra existentia in loco pendet à Dei existentia in eodem loco, quasi radius à sole, quasi embryo à matre & matrice, quasi auis ab aëre, quasi homo à respiratione; & planius sicut corpus ab anima viuunt, mouetur, est & sustentatur. Sicut ergo de anima dici potest, quod in ipsa viuamus, moueamur & sumus; ita multo magis idem dicitur de Deo: ipse enim est anima non tantum corporis, sed & animæ cuiusque, vbique illi præsens, eamque viuificans, mouens & sustentans. Vide ergo quàm Deo iuncti sumus physice, & moraliter iungi debeamus, ut, quoties auram attrahimus, toties Deum attrahamus, cogitemus & inuocemus, in quo sicut in aura viuimus, mouemur & sumus. Ita S. Chrysof. *Sicut, inquit, impossibile est ignorare aërem vbique diffusum, & non longè ab vnoquoque nostram existentem, ita profectò & omnium opificem. Vide quomodo omnia illius dicit esse; prouidentiam esse illius; conseruationem esse ab illo; operandi vim; actum habere, & non perire.* Profundè Lyran. *Ipsè, ait, est nobis intimior quàm nos ipsi: quoniam ipse coniungit principia intrinseca, quibus nimirum vnusquisque nostrum constituitur substantialiter. Porro Deus est in nobis, & nos vicissim in Deo, sicut lumen est in aëre, & aër in lumine. Vide S. August. lib. 4. de Genesi ad litteram cap. 12. & lib. 14. de Trinit. cap. 12. & S. Cyrill. lib. 9. in Iohan. c. 40.*

Tertiò, in Deo viuimus, mouemur & sumus, quasi in circulo, vel rota nos concludente & ambiente. Vnde Empedocles: *Deus, ait, est circulus, cuius centrum est vbique, circumferentia nusquam.* Et circulus symbolum est perfectionis & æternitatis Dei, ut docet Pierius Hierogl. lib. 39. Diuinè S. Dionys. c. 7. de Diuin. nomin. ait, diuinam monadem, siue vnitatem in tribus personis, se à cælestibus in omnia, etiam ima diffundere, *ut que sit primum, inquit, omnis essentia principium & causa; eademq; omnia eximio modo complexu suo, qui inuictus sit, continere.*

Quartò, iuridicè: in Deo, id est, in Dei dominio & iurisdictione viuimus, eoque cingimur, ut eiusus & manuseuadere non possimus, iuxta illud psal. 138. 7. *Quò ibo à spiritu tuo, & quò à facie tua fugiam? si ascendero in calum, tu illic es: si descendero in infernum, ades, &c.* sed ipse quasi figulus nos formet, moueat, regat, mutet, prout voluerit. Vnde S. August. in illud Matth. 6. *Pater noster, &c. Deus, inquit, est in seipso, sicut a & w: in mundo, sicut rector & auctor: in angelis, sicut sapior & decor: in Ecclesia, sicut paterfamilias in domo: in animo, sicut sponsus in thalamo: in iustis, sicut adiutor & protector: in reprobis, sicut pauor & horror.* Et Aristot. vel quisquis est auctor libr. de Mundo: *Quod, ait, in naui est gubernator, in curru auriga, in choro pracentor, in ciuitate lex, in exercitu imperator, hoc idem in mundo est Deus: ac consequenter mundus vicissim est in Deo, sicut regnum in rege à quo regitur.*

Significat ergo hæc præpositio *in*, nos intimè à Deo pendere, Deumque esse quasi animam

Si Deus non esset in loco, nos in eo esse nō possemus.

Deus est quasi aura qua respiramus.

Tertiò.

Quartò.

nam & vitam nostram, iuxta illud S. August. serm. 18. de verbis Apostoli: *Vita corporis anima est, vita anima Deus est.* Magis enim pendet homo & res quælibet à Deo, quàm à seipsa: quia & materia, & forma ipsius ex se non est, sed omne suum esse habet à Deo, illudque tandiu habet, quamdiu placet Deo. Si enim ille manum suam retrahat, ilicò res omnis recidit in suum nihilum, vnde à Deo per creationem educta est. Magis ergo pendemus à Deo, quàm radij à sole, lumen à luce, calor ab igne, vita ab anima, respiratio ab halitu. Et hæc est causa, cur magis Deum quàm nos ipsos, id est, vitam & animam nostram diligere debemus: quia scilicet à Deo, quasi à fontali principio, magis pendemus nos, totumque vniuersum, cuius nos sumus pars, quàm à nobis ipsis. ita D. Thom. & Scholastici 2.2.q. 26. art. 3.

Mor. primii. Moral. *to in ipso viuimus*, significat Primò, nos ex vita & anima nostra facili gradu ascendere ad Deum. Vnde S. Augustinus lib. 7. Confess. c. 10. citatis his Pauli verbis: *Et inde, inquit, admonitus redire ad memetipsum, intraui in intima mea duce te, & potui, quoniam factus es adiutor meus. Intraui, & vidi qualicumque oculo animæ meæ, supra eundem oculum animæ meæ, supra mentem meam, lucem Domini incommutabilem, non hanc vulgarem & conspicuam omni carni, nec quasi ex eodem genere. Grandior erat, tamquam si ista multo multoq; clariùs claresceret, totamque occuparet magnitudinem. Non hoc illa erat, sed aliud, aliud valde ab istis omnibus. Nec ita erat supra mentem meam, sicut oleum super aquam, nec sicut calum super terram, sed superior: quia ipsa fecit me; & ego inferior, quia factus sum ab ea. Qui nouit veritatem, nouit eam; & qui nouit eam, nouit æternitatem. Charitas nouit eam. O æterna veritas, & vera charitas, & chara æternitas! Tu es Deus meus, tibi suspiro die ac nocte.*

Secundum. Secundò, *to in ipso* significat, Deum in manu sua habere nostram vitam, nostrum halitum, nostrum esse, ac consequenter nostram gratiam & gloriam, nostram felicitatem & damnationem æternam. In manibus tuis sortes meæ, ait Dauid psalm. 30. 16. Hoc est quod Daniel intonat Baltasari regi, interitum ei denuntians: *Deos, inquit, argenteos & aureos, &c. laudasti. Porò Deum qui habet statum tuum in manu sua, & omnes vias tuas, non glorificasti, Daniel. 5. 23.*

Symbolicè in Dei idea viuimus, Symbolicè, in Deo ipso viuimus & sumus tamquam in causa exemplari: nostrum enim omnium ideæ, iuxta quas conditi sumus, propriè sunt in Deo: in eo enim, ait S. Augustinus, viuunt sempiternæ rerum omnium rationes. In Deo ergo sum & viuo, quia mei idea & exemplar propriè est & viuunt in Deo. Vide S. Thomam & Scholast. 1. p. q. 15.

Et in eius prouidentia. Rursum in Deo, id est, in Dei mente, sapientia, voluntate, cura & prouidentia viuimus, mouemur & sumus. Ille enim semper cogitat de nobis, curat res nostras, regit, dirigit, nobisque prouidet de omnibus. Si ergo grati esse volumus, iugiter de Deo nostro vicissim cogitare debemus, illi obsequi & per omnia placere. Sicut enim nullum est momentum quo non fruamur Dei beneficiis, sic nullum debet esse

Cornel. in Actis Apostol.

A momentum quo non de eo cogitemus. Quis enim obliuiscatur animæ suæ, vel halitus sui in quo uiuit, mouetur & est? Ita S. Dominicus, S. Thomas aliique Sancti iugiter de Deo, vel cum Deo loquebantur. Ita S. Augustinus in Soliloquijs c. 18. *Omni momento, inquit, me tibi obligas Domine, dum omni momento mihi tua magna beneficia præstas. Sicut ergo nulla est hora, vel punctum in omni vita mea, quo tuo beneficio non utar, sic nullam debet esse momentum, quo te non habeam ante oculos in mea memoria, & te non diligam ex omni fortitudine mea.* Quocirca Deus sicut est centrum animæ nostræ, ita debet esse & centrum omnium cogitationum, intentionum & actionum nostrarum.

Idipsum eleganter docet Cassianus Collat. 24. cap. 6. exemplo testudinis, siue concamerationis, cuius rotunditas coire & stringi debet in centro, alioqui corruet: *Ita etiam, inquit, mens nostra nisi solam Domini charitatem, velut centrum immobiliter fixum, per vniuersa operum molitionumq; nostrarum momenta, circumagens circino charitatis, omnium cogitationum vel aptarit, vel repulerit qualitatem, nequaquam structuram illam adificij spiritualis, cuius Paulus est architectus 1 Corinth. 3. probabili arte molietur, nec pulchritudinem domus illius possidebit, quam B. Dauid in corde suo Domino suo cupiens exhibere: Domine, inquit, dilexi decorem domus tue, & locum habitationis gloriæ tuæ.*

Et S. Augustinus lib. de Spiritu & anima cap. 17. vel quisquis est Auctor. Nam non esse S. Augustini, sed alicuius eo posterioris, liquet ex capite 37. vbi citat Boethium, qui à Theodorico rege Gothorum occisus est anno Christi 526. cum S. Augustinus vixerit anno Christi 420. Et cap. 48. multa citat ex Gennadio lib. de Eccles. dogmat. qui pariter Augustino recentior est. Hic inquam Auctor, piè & eleganter describens Dei beneficia communia & propria, curamque & prouidentiam, subdit: *Hæc & multa alia fecit mihi Deus meus, de quibus dulce est mihi semper loqui, semper cogitare, semper gratias agere, ut pro omnibus beneficiis suis possim semper eum laudare & amare. Cùm enim cunctis sit prædens, singulos implens, vbique præsens, vniuersorum curam gerens, & tam singulis quàm omnibus prouidens, ita totum ad custodiam meam occupatum video, ut si ego super custodiam meam stabo, quasi omnium oblitus sit, & mihi soli intendere velit. Semper se præsentem exhibet, semper separatam offert, si me paratum inuenerit. Quocumque me verterò, non me deserit, nisi ego prior eum deseram. Vbicumque fuero, non recedit à me, quoniam vbique est, ut quocumque iero inueniam eum, cum quo possim esse. Quidquid fecero, pariter assistit, utpote perpetuus inspector omnium cogitationum, intentionum & actionum mearum. Cùm hæc diligenter considero, timore pariter & ingenti rubore confundor, quia illum vbique mihi præsentem, & omnia occulta mea videntem intueor. Multa enim sunt in me, de quibus coram oculis eius erubesco, & pro quibus ei valde displicere timeo. Nec pro his omnibus quid illi rependam habeo, nisi tantum ut diligam eum. Non enim melius, nec decentius quàm per dilectionem rependi potest, quod per dilectionem datum est.*

Quocirca S. Bernardus libr. de Modo bene viuendi

viuendi cap. 29. hoc forori dat dogma pium & salutare: Ibi peccata, ubi nescis esse Deum. Nihil enim celatur ante Deum. Vides occulta, qui fecit abscondita. Dominus ubique præsens. Spiritus totum implet. Maiestas omnipotentis Dei penetrat omnia elementa, nullus locus est extra Deum. Dominus scit cogitationes hominum. Rursum S. August. serm. 255. de Temp. In nobis, ait, duo altaria sunt constituta, corporis scilicet & cordis nostri. Duplex à nobis sacrificium querit Deus: vnum, vt simus casto corpore; aliud, vt mundo corde esse debeamus. Ergo in exteriori altari, id est in corpore nostro, offerantur opera bona, in corde odorem suauitatis redoleat cogitatio sancta, vt cor tamquam altare thymiamatis, iugiter ex Deo exhalet thymiama laudis & gratiarum actionis. Idem lib. 14. de Trinitate c. 12. Magna, ait, hominis miseria est cum illo non esse, sine quo non potest esse, id est subsistere. In quo enim est, proculdubio sine illo non est: & tamen si eius non meminit, eumq; non intelligit, nec diligit, cum illo non est. Hæc physicè de esse naturali, quo naturaliter viuimus, mouemur & sumus in Deo.

Mysticè.

Mysticè, hæc veriora sunt in esse & gradu supernaturali. Supernaturaliter enim in Deo viuimus per gratiam, mouemur per charitatem aliasque virtutes, sumus per summam vnionem cum Deo, qua diuinæ confortes naturæ, facti sumus noua & supernaturalis creatura. Nam per iustificationem nouo modo fit præsens Deus in anima iusti, adeo vt si per impossibile prius in ea non fuisset præsens per essentiam, præsentiā & potentiam, ilicò virtute gratiæ & iustitiæ fieret præsens per essentiam, præsentiā & potentiam, vt ex D. Thoma, Suarez, aliisque Scholasticis ostendi Osee 1. 10. Vnde S. Ambros. lib. de Bono mortis c. vlt. Mouemur, inquit, in Deo, quasi in via; sumus, quasi in veritate; viuimus, quasi in vita æterna. Et S. Cyprianus lib. de Baptismo Christi, hæc applicat SS. Trinitati: In Patre, ait, sumus, in Filio viuimus, in Spiritu sancto mouemur & proficimus. Hoc est quod Isaias ait c. 26. 12. Deum in nobis operari omnia operà nostra; item omnia in omnibus, vt ait Paulus 1. Corinth. 12. 6. ac eum operari in nobis velle & perficere, Philipp. 2. 13. Hoc est quod disertè asserit Christus Iohan. 14. 23. Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diligit eum: & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.

In te ergo, ô Domine, viuimus, mouemur & sumus, sicut infans in sinu, imò in ventre matris, à qua gignitur, formatur, alitur, omneque suum esse accipit: sicut pisciculus in mari: sicut auis in aère: sicut herbæ & gramina in terra: sicut nauigantes in nauis, sicut equitantes in curru. Tu enim es currus Israel, & auriga eius: tu vt currus nos sustines, & vehis; vt auriga moderaris, dirigis & ducis rectis itineribus ad cælum. Quid peto vt venias in me, qui non essem, nisi esses in me? An potius non essem, nisi essem in te? ait S. Augustinus 1. Confess. c. 2.

In te, hoc est, in tua memoria, intellectu & voluntate semper viuimus: tu de nobis affiduè memoraris, cogitas, disponis & ordinas. Da vt vicissim in memoria, intellectu & voluntate nostra semper viuas, vt nihil nisi te memoremur,

sapiamus, velimus, amemus, vt te indies magis magisque vestigando cognoscamus, & diligamus. Quid enim, ait S. August. lib. 1. Confess. c. 4. es Deus meus? Quid rogo nisi Dominus Deus? Quis enim Dominus præter Dominum, aut quis Deus præter Deum nostrum? Summe, optime, potentissime, omnipotentissime, misericordissime & iustissime, secretissime & præsentissime, pulcherrime & fortissime, stabilis & incomprehensibilis, immutabilis mutans omnia, numquam nouus, numquam vetus, innovans omnia, & in vetustatem perducens superbos, & nesciunt. Semper agens, semper quietus: colligens & non egens: portans, & implens, & protegens: creans, & nutriens, & perficiens: querens, cum nihil desit tibi: amas, nec astuas: zelas, & securus es: pœnitet te, & non doles: irasceris, & tranquillus es: opera mutas, nec mutas consilium: recipis quod inuenis, & numquam amisisti: numquam inops, & gaudes lucrui: numquam auarus, & vsuras exigis; & supererogatur tibi vt debeas, & quis habet quidquam non tuum? Reddis debita nulli debens, donas debita nihil perdens. Et quid dicimus Deus meus, vita mea, dulcedo mea sancta, aut quid dicit aliquis cum de te dicit: Et va tacentibus de te, quoniam loquaces muti sunt.

Atque ex his collige & metire quanta sit bonitas & beneficentia diuina, tum præsens, tum potius futura, quantaque sint bona & gaudia, quæ Deus in cælis præparauit diligentibus se. Ea hac mensura & vna metire. Nam, vt ait S. Eucherius epist. ad Valerianum: Cum Deus in hac vita tam præclara iustis pariter & iniustis tribuat, qualia sunt putanda que iustis reseruat? Consideremus qui tanta dedit, quanta restituet: qui tam magnus est in donis, quam magnus erit in præmiis. Si tam inestimabilis est munerantis benignitas, qua illa remunerantis? Inestimabilia sunt quæ præparauit Deus his qui diligunt eum: quam magna replet bonis, qui tam magna largitur ingratis?

Quam ergo Deum semper præsentem in mente habere debemus, & eius præsentiam nobis semper repræsentrare, vt nil eo indignum, quod eius oculos offendat, agamus, velimus, cogitemus: quam sanctos esse nos conuenit, qui in ipsa sanctitate, in Deo, inquam, quasi in templo increato viuimus, mouemur & sumus? Dicebat vicissim Philo. & ex eo Lactantius lib. de Ira Dei cap. 14. mundum esse totum templum quoddam sanctissimum, & Deo dignum: multò magis microcosmus, putà homo, præsertim fidelis & sanctus, est templum Dei animatum & viuum, in quo substantialiter Deus inhabitat, ac proinde in eo semper eum contemplari, reuereri, colere potest & debet. Perpetuum, ait Nazianz. in sententiis, tibi hoc sit studium, vt mententuram templum Deo extruas: sic enim pro spiritali statua eum in intimo corde habebis. Ita S. Gorgonia soror Nazianzeni, seipsam viuum Deo templum exhibuit, ac proinde moriens hanc cychnæam edidit vocem: In pace in idipsum dormiam & requiescam, vt ipse testatur orat. 1. quæ est de S. Gorgonia.

IN IPSo VIVIMVS, MOUEMVR ET SUMVS] Hæc tria quasi antistropha respondent, & confirmant tria, quæ homines accipere à Deo dixit Paulus vers. 25. dum ait: Cum ipse det omnibus vitam, & inspirationem, & omnia. q. d. Deus dat nobis

Sanctè in Deo quasi in ipsa sanctitate viuendum.

nobis vitam, quia in ipso viuimus: dat respiratio-
nem, quia in ipso mouemur: ipsa enim respi-
ratio est motus: est enim continua inspiratio
& exspiratio aëris, quæ fit per contractionem
& dilatationem pulmonum, quasi folium, ad
refrigerandum cor. Rursum respiratio coniun-
cta est cum motu: quæ enim habent vim mo-
tuum, respirant: vnde & dum fortius se mo-
uent, magis respirant: motu enim excitatur ca-
lor, qui respiratione refrigerandus & tempe-
randus est. Ipse denique dat omnia, quia in ipso
sumus, id est, ab ipso fugimus & haurimus
omne esse nostrum, omnia quæ habemus, to-
tum quod sumus: præter vitam enim & mo-
tum, multa alia habemus à Deo.

In Deo vi-
uimus, non
formaliter,
sed effecti-
uè.

Nota. In Deo viuimus, non formaliter, quasi
ipse sit causa formalis vitæ nostræ, ut nonnulli
B censuerunt; ac hæretici Apollinaristæ Christo
homini adimebant mentem & animam, dicen-
tes eius vice fungi diuinitatem. Rursum non-
nulli Scholastici censuerunt, vitam quæ con-
sistit in visione Dei, fieri per solum diuinitatis,
vel luminis gloriæ illapsam in animam, ita ut
ipsa nil agat, nec actiue eliciat actum visionis
beatificæ, sed merè passiuè se habeat, eum dum-
taxat recipiendo. Hæc enim & Philosophiæ &
Theologiæ repugnant, quæ docet, actus vital-
es, qualis est visio, intellectio, amor, &c. essen-
tialem ordinem dicere ad animam viuentis in
quo sunt, ita ut ab ea vitaliter manare & pro-
duci debeant: alioqui non vitales actus erunt,
sed mortuæ qualitates & actiones. In hoc enim
actus vitalis à non vitali secernitur, quod ille
à principio intrinseco vitaliter procedat, hic
non.

Deus con-
currit ad
omnes a-
ctiones.

Nota Secundò, in quo mouemur. Inde enim
patet, Deum immediatè concurrere ad omnem
motum nostrum æquè ac ad omnem operatio-
nem causæ secundæ, ideoque ex eo rectè con-
cludit Apostolus, Deum non longè abesse à
nobis, sed vbique esse præsentem; quia scilicet
vbique immediatè non tantum nos, sed & mo-
tus, actionesque nostras omnes contingit, iisque
cooperatur, ad eò ut sine eius concursu & coo-
peratione, nec digitum extendere, nec mini-
mum nutum, vel motum producere posse-
mus ita passim contra Durandum in 2. d. 1. q. 5.
(vbi docet, Deum tantum dare & conseruare
vim motuam, non verò concurrere ad ipsum
motum) docent Scholastici cum S. Thoma 1. p.
q. 18. art. 4. ad 1. Omnis enim res pendet & ma-
nat à Deo: ergo & actio. Est enim ipsa res &
ens quoddam.

SI CVT ET QVIDAM VESTROVM POETARVM
(Syrus, sapientum: Poëtæ enim erant Gentilium
sapientes & quasi Prophetæ) DIXERVNT] Vir-
gil. 4. Georg.

Deum namque ire per omnes

Terrasq; tractusq; maris, cælumq; profundum.

Hinc pecudes, armenta, viros, genus omne ferarum,

Quemq; sibi tenues nascentem arcescere vitas.

Plato, & ex eo Virgil. Æneid 6.

Spiritus intus alit, eorumq; infusa per artus

Mens agit at molem, & magno se corpore miscet.

Inde hominum, pecudumq; genus vitæq; volantium.

Si Deus est anima mundi & macrocosmi, multò

Cornel. in Acta Apostol.

A magis idem est anima microcosmi, putà homi-
nis. Lucanus lib. 1.

Iuppiter est quodcumque vides, quocumque mo-
ueris.

Rursum:

Iouis omnia plena.

Ennius apud Cicer. lib. 2. de Natura deorum:

Vides sublime fufum immoderatum æthera,

Qui tenero terram circumuictu amplectitur,

Hunc summum habeto diuum: hunc perhibere
Iouem.

Similia habet Aratus, de quo mox.

IPSIVS ENIM ET GENVS SVMVS] Sunt verba
Arati in Phænomenis. Aratus fuit Poëta anti-
quus & celebris. Antiocho regi in deliciis, o-
lympiade 125. anno à Roma condita 472. pa-
tria Solensis, non longè à Tharso: ac proinde
Pauli penè conciuus. Præclare scripsit de stellis
& signis cælestibus. vnde eius versus in Latinum
translulit lib. 2. de Natura deorum Cicero. Ara-
tus ergo sic orditur:

A Ioue principium, quem nunquam mittimus ipsi

Infatum: plena verò Iouis omnia quidem compita,

Omnis verò hominum cætus, plenum verò mare,

Et portus: vbi que autem indigemus Ioue omnes.

Alij pro indigemus, vertunt vtimur, vel fruimur,
quasi $\kappa\epsilon\chi\epsilon\mu\epsilon\theta\alpha$ deriuetur à $\chi\epsilon\alpha\mu\epsilon\theta\alpha$, id est
vtor, non à $\chi\epsilon\iota\zeta\omega$, id est indigo. Sed $\chi\epsilon\alpha\mu\epsilon\theta\alpha$
construitur cum datiuo, $\chi\epsilon\iota\zeta\omega$ cum genitiuo,
qualis hic est $\Delta\iota\omicron\varsigma$, id est Iouis.

Huius etenim genus sumus.

Quod hemistichium breuitatis causa tantum
C citat Paulus; & quia illud sufficit ad confir-
mandum id quod dixerat: In illo viuimus,
mouemur & sumus. Subdit Aratus, Iouem prou-
dise stata tempora ferendi, germinandi, me-
tendi, &c. Vnde concludit: Salue pater, magna
admiratio, magna hominibus utilitas. Moral. exem-
plo Pauli discite, Ethnicorum sententias Chri-
stiano concionatori raro & sobriè citandas esse:
de quo multa noster Lorinus hic.

Gabr. Vasquez, & ex eo Sanchez, genus su-
munt non pro prole, sed pro opere. q. d. Su-
mus opus & creatura Dei. Vnde Clemens Alex.
lib. 5. Strom. sub finem: Ipsius genus sumus, inquit,
scilicet creatione: $\chi\epsilon\alpha\mu\epsilon\theta\alpha$ enim non tantum
gignere, sed & producere significat. Vnde liber
Genesis vocatur, quo rerum creatio & produ-
ctio enarratur. Sic Iob 38. Deus dicitur pluuiæ
pater, id est productor, ut sensus sit, q. d. Si nos
qui sumus genus, id est, opus Dei, longè præsta-
mus idolis ligneis & lapideis, imò simulacra
hæc manu hominis formata sunt; multò magis
iis præcellit Deus: quare illa Deo æquari, aut
pro Deo coli nefas est.

Genus, id
est opus.

Verum alij passim genus accipiunt pro pro-
genie & sobole. Sic Græci Poëtæ vocant He-
roës $\delta\iota\theta\eta\epsilon\iota\varsigma$, $\delta\iota\theta\epsilon\iota\varsigma$, & $\delta\iota\varsigma$, hoc est, à Deo ge-
nitos, à Deo nutritos, & diuinos. Homo ergo est ge-
nus Dei, quia creatus est ad imaginem & simi-
litudinem Dei, quasi Dei proles & filius; qui
proinde ab eo participat eius essentiam præ cæ-
teris creaturis, summumque entis gradum, putà
naturam rationalem. Vide dicta Genes. 2. Longè
excellētius & perfectius sumus genus, id est,
filij Dei, per gratiam, qua adoptamur in filios
Dei,

Genus, id
est proles.

Dei, imò sumus diuinæ confortes naturæ, vt ait S. Petrus 2. epist. c. 1. 4. Vnde S. Gregor. 20. Moral. c. 16. & Beda: Genus, inquit, sumus Dei, non quia de substantia Dei, parsuè illius, sed quia per Spiritum illius, & voluntariè per adoptionem recreati: nam in iustificatione non tantum qualitas aliqua, putà gratia & charitas, sed ipsissimus Spiritus sanctus, ac tota SS. Trinitas nobis datur, vt paulò antè dixi, quæ nos substantialiter sibi vnit, & quasi in se transformatur, vt sumus eius congeneres & concorporati, ideoque vnum genus cum eo, imò vnus spiritus, vt dicitur 1. Corinth. 6. 17. ita S. Gregor. Nyssenus scribit de suo fratre S. Basilio Magno in orat. funebri: *Genus quidem illi (Basilio) & necessitudo cum Deo: patria autem, virtus.* Porro ex eò quòd sumus Dei genus, rectè confirmat suum dictum Apostolus, quòd in ipso viuamus, moueamur & sumus, vtpote qui ita sumus genus Dei, vt illi, eiusque substantiæ intimè sumus vniti, ab eaque toti penetremur & possideamur; ac consequenter quòd Deus non sit à nobis remotus, nec ignotus, vt Athenienses putabant, sed cognitus & vicinus, non tantum loco, sed & cognatione ac substantia: quia nos sumus è genere & stirpe Dei, quasi eius loboles & propago. Aratus enim, vt patet ex versibus eius paulò antè citatis, ita dicit nos esse genus Dei, vt ille quaquauersum omnia (putà macrocosmum, & multò magis microcosmum, id est homines) se suoque numine, id est, sua substantia, præsentia, operatione, beneficentia continua, impleat & compleat; omnesque eo indigeamus, vtamur & fruamur perpetim, dum scilicet in illo viuimus, mouemur & sumus, vt explicat Apostolus. Deus enim est velut anima mundi, quæ se per eum totum diffundit, in eoque homines quasi filios ex se ipsa & in se ipsa producit, sicut mare in se & ex se producit pisces; ita vt instar piscium in Dei & deitatis oceano viuamus, natemur, moueamur & sumus.

Quare licet in hominibus & animalibus filij à parentibus suis sint separati, in Deo tamen & loco & operatione cum eo sunt coniuncti; eò quòd ipse sit immensus, omniaque impleat, penetret & occupet. Hinc rursus, licet homo semel genitus à patre, ab eo amplius non generetur, nec corpus aut vitam accipiat; in Deo tamen secus est. Ab eo enim assidue pendemus, vt radius à sole. Ita ergo sumus genus Dei, vt ipse assidue nos quasi generet, conseruando & iugiter influendo in nos vitam, motum, omnique esse nostrum.

Denique rectè probat Aratus, Deo nos omnes indigere, ex eo quòd eius genus, id est propago & filij, sumus. Filij enim indigent ope patris, vtpote à quo accipiunt vitam, victum, vestitum, hereditatem, & omnia: præsertim verò egent ope patris diuini ipsiusque Dei, qui est pater totius entis, omniisque esse & essentiæ, ideoque in eo viuimus, mouemur, & sumus, vt ratio inatur Apostolus.

Secundò, potest etiam ipsius enim & genus sumus, referri aliùs more Hebræo ad priorem partem v. 27. *Querere Deum si forte atrociter eum, aut inueniant,* vt huius sit probatio, potius quam eius

A quod proximè præcessit, *in ipso enim viuimus, mouemur, & sumus.* q. d. Sumus genus Dei, eius cognati & filij: ergo facile possumus eum inuenire & cognoscere: filius enim naturaliter suum agnoscit patrem, cognatus cognatum, consanguineus consanguineum, congener sibi congenerem; perinde ac bos bouem, philomela philomelam, equus equum, leo leonem agnoscit & amat. Vulgò dicitur: *Simile gaudet simili: Cicada cicada chara, formica formica: Asinus asino, sus sui pulcher: Semper graculus asidet graculo.*

Tertiò, alij censent esse argumentum à maiori ad minus. q. d. Mirum vobis, o viri sapientes, videri non debet quòd dixi, nos scilicet in Deo viuere, moueri & esse; cum vester Poëta etiam amplius illi tribuat, maioremque nostri cum illo doceat esse coniunctionem, dum dicit nos Dei esse genus, seu progeniem; quia scilicet ipse nos, æquè ac angelos, creauit ad sui imaginem, suæque libertatis, rationis & spiritalis essentia fecit esse participes.

Verum primus sensus est genuinus, vt patet intuenti Aratum. Hinc veteres Philosophi & Poëtæ, vt Orpheus in hymnis, Soranus, Varro & Philo dicunt, Deum creaturis esse patrem & matrem, nimirum esse *μηλοπατήρα* & *παλομήνηρα* id est, *matripatrem* & *patri matrem*. Primò, quia, sicut homo à patre & matre accipit suum esse & bona omnia, sic multò magis eadem ipse, & quælibet alia creatura accipit à Deo. Secundò, quia, vt ait Philo lib. de Temulen. patris nomen denotat potentiam, matris scientiam, putà ideam, quæ rei fabricam concipit & efformat quasi mater. Deus ergo est pater per omnipotentiam, est & mater per omniscientiam, & ideam rerum omnium, quæ attribuitur Verbo, putà Filio. Hic ergo est quasi mens, & mater omnium. Tertiò, quia Deus est pater per productionem & creationem vniuersorum: est & mater per bonitatem & beneficentiam, quæ cuncta creat, conseruat, pascit, gubernat. Vnde Deus Pater, cui attribuitur creatio, est pater: Spiritus sanctus, cui attribuitur bonitas, est quasi mater omnium. Quartò, quia Deus in mundo, & per mundum, femina rerum producendarum emittit quasi pater: eadem quoque recipit quasi mater. ita Varro & Soranus, qui tamen in eo errarunt, quòd censent mundum ipsum esse Deum. Audi eos citantem & reluctantem S. August. li. 7. de Ciuit. c. 9. *Ioui, inquit, vniuersum solent tribuere. Vnde est illud: Iouis omnia plena. Ergo & Iouem, vt Deus sit, & maxime vt rex deorum, non alium possunt existimare quàm mundum: vt in diis ceteris secundum istos suis partibus regnet. In hanc sententiam etiam quosdam versus Valerij Sorani exponit idem Varro in eo libro, quem seorsum ab istis de cultu deorum scripsit, quæ versus hi sunt:*

Iuppiter omnipotens, regum Rex, ipse Deusque

Progenitor, genitrixque, Deum, Deus vnus & omnis.

Exponuntur autem in eodem libro ita, vt cum matrem existimarent, qui semen emitteret; feminam, quæ acciperet: Iouemque esse mundum, & eum omnia femina ex se emittere, & in se recipere; qua causa, inquit, scripsit Soranus; Iuppiter progenitor, genitrixque,

nec minus cum causa vnum & eundem omnia esse. Mundus enim vnus in eo vno omnia sunt. Quinto, valde appositè Verbum caro factum est *καὶ ἑστὸν*. Deitas enim est quasi pater, humanitas in Christo est quasi mater nostra. Ideo enim Deus factus est homo, vt qui erat pater, esset nobis & mater. de quo plura I. Ioh. c. i. i.

Anima celestis origo. Moral. discite hinc, quanta sit nobilitas animæ, nimirum quòd sit celestis, diuina proles & propago Dei; ac proinde indignum esse, si illa ad brutas cupiditates se abiciat: quare debere eam diuinam, celestem & angelicam vitam agere, vt Deum patrem suum imitetur, ad eumque beanda redeat. Quocirca idem quod Aratus hinc, dixerunt Poëtæ cæteri, nimirum animam hominis esse diuinam particulam aura. Ouid. lib. i. Metamorph.

*Sanctum his animal, menti q̄, capaciis alta
Deerat adhuc, & quod dominari in cætera posset:
Natus homo est, siue hunc diuino semine fecit
Ille opifex rerum, mundi melioris origo.*

Manilius lib. 4.

*An dubium est habitare Deum sub pectore nostro,
In calumq̄, redire animas, calog, venire?*

Virgil. lib. 6. Æneid.

*Igneus est ollis (illis, scilicet animabus) vigor, &
caelestis origo.*

S. Paulinus Ausonio epist. 14.

*Mens quippe lapsis qua superstes artibus,
De stirpe durat caliti.*

Iuuenal. satyra 15.

Sensum à caelesti demissum traximus arce.

Claudian. Paneg. 4. Honorij ait, quòd Prometheus, vt fingeret homines, eosque animaret, sinceram patri mentem furatus Olympo, eam quasi animam indiderit homini.

Hesiodus & Homerus crebrò dicunt, quòd Iupiter sit *πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε*, hoc est, vt Virgil. Homerum more suo sequens, vertit Æneid. 11. hominum sator atque deorum.

VERS. 29.

GENVS ERGO CVM SIMVS DEI, NON DEBEMVS ÆSTIMARE AVRO, &c.] Hoc est argumentum Apostoli: Homo non est conflatus ex auro, argento, vel lapide, sed ex carne, & anima rationali, quæ longè superat omne aurum & argentum. Atqui homo est genus, soboles & imago Dei. Ergo & Deus non est conflatus ex auro, vel argento, sed spiritus purus, increatus, omnipotens. Si enim homo viuus longè præstat simulacro aureo, vt pote muto & inanimi; multò magis eo præstat Deus. Rursum Deus non potest fabricari ab homine, sed potius vice versa factus est à Deo, est que tuis genus & propago. Atqui simulacra sunt fabricata ab homine. Ergo nequeunt esse dii. Aut potius hæc est argumentatio Apostoli: Anima nostra, iuxta quam sumus genus Dei, non potest pingi, vel effigiari in auro, argento, aut lapide sculpto, cum sit incorporea & spiritalis; ergo multò minùs in iisdem pingi, effigiari atque representari potest diuinitas, quæ purissimus est spiritus, omniumq̄; spirituum fons & origo. Denique hac sententia perstringit Paulus Epicureos & Anthropomorphitas, qui dicebāt Deum esse corporeum. Nos enim sumus genus Dei secundum animam rationalem, non secundum corpus. Ergo, vt ait Cato:

A Si Deus est animus, nobis vt carmina dicunt, Hic tibi præcipue sit pura mente colendus. NON DEBEMVS ÆSTIMARE] *νομιζέειν*, existimare, putare.

SCULPTURÆ ARTIS ET COGITATIONIS HOMINIS Vox sculpture non est nominatiui calus. q. d. Aurum, argentum aut lapis, quæ sunt sculpture, siue simulacra arte sculpta; sed datiu: græcè enim est *χαρῆς γυατ*. Est ergo appositio, vel epexegetis, q. d. Non debemus existimare, auro, argento aut lapidi, putà sculpture per artem & excogitationem hominis efformatæ, Deum & diuinitatem esse similem. Vnde Pagninus & Tigurina vertunt, non debemus existimare auro & argento, aut lapidi arte sculpto, aut inuento hominis numen esse simile.

B COGITATIONIS] *ἐπινοήσεως*, id est cogitationis, meditationis, conceptionis, imaginationis, putà ideæ, quam imaginatus est, concepit & excogitauit artifex & sculptor. Irenæus lib. 3. c. 12. vertit, concupiscentiæ: lapidi, inquit, per artem vel concupiscentiam hominis deformato.

DINVM] *τὸ θεῖον*, id est diuinitatem. ita Syrus; siue numen, vt vertit Pagninus & Tigurina.

ET TEMPORA QUIDEM HVIVS IGNORANTIÆ (Syrus, idololatria) DESPICIENS DEVS] *Despicere*, id est, ex alto culmine deorsum aspiciens, & miserans, iuxta illud Lucæ 1. 78. *Per viscera misericordie Dei nostri, in quibus visitauit nos Oriens ex alto.* Hoc enim propriè est *καταβλέπειν*, id est despiciere, nimirum deorsum aspiciere, vt notant Latini. Et sic accipitur psalmo 53. 9. *Quoniam ex omni tribulatione eripuisti me, & super inimicos meos despexit oculus meus.* Sic S. Francisci gnomo erat: *Despice terram, suscipe calum.* ita Emmanuel Sàl.

VERS. 20.
Despicere quadruplex.

Secundò, alij *καταβλέπειν*, id est despiciens, interpretantur contemnens, vel dissimulans. q. d. Deus huiusque hanc patrum vestramq̄; ignorantiam neglexit, & dissimulauit conuiuendo, nec vos puniendo, vt hac sua longanimitate vos per meam prædicationem, qua verum Deum vobis annuntio, resipiscatis, pœnitentiam agatis, & ad eum conuertamini. ita Chrysost. & Oecumen. q. d. Hactenus tacuit Deus, suamque iniuriam dissimulauit: at nunc non amplius dissimulabit: vnde per me loquitur, iubet que simulacra aboleri, & se verum Deum coli.

D Tertiò, Lyran. *τὸ despiciens* refert, non ad homines, sed ad deos & idola. q. d. Deus despiciens & abominans idola, statuit iam eis finem imponere, eaque euertere, vt amplius pro diis non habeantur, nec colantur.

Quartò, & genuinè, *καταβλέπειν* est aoristus, significans cum despexerit in præterito. q. d. Hactenus Deus despexit, id est neglexit, Gentes idololatrias, permittendo eas idolis seruire, quasi eas non curaret, illæque ad eius paternam prouidentiam non pertinerent: at nunc post Christum, & per Christi merita, eas non despicit, sed oculis paternis respicit, statuitque suam in eas curam ostendere: quocirca annuntiat per me vobis veram vnus Dei fidem, gratiam & salutem. Idem enim hinc dicit Paulus, quòd in simili concione dixit Lycaoniis cap. 14. 15. *Quis*

in praeiis generationibus dimisit omnes gentes ingredi vias suas: quod enim ibi dicit dimisit, hic dicit despesit. ita Sanchez. Causas, cur Deus gentes dimiserit, dat S. August. epist. 49. c. 2. vbi respondet Porphyrio id ipsum cauillanti.

Aureum
saeculum
legis nouae.

Notat Paulus infelicitatem priorum temporum, & felicitatem praesentis, puta legis nouae, quae est quasi aureum saeculum, & iuge iubileum gratiae, laetitiae, virtutum & bonorum omnium; vt infinitas Deo gratias agere debeamus, quod nos fecerit nasci hoc tempore fulgentis Euangelij, quo facile beatitudinem adipisci possumus; cum maiores nostri nati fuerint in tempore ignorantiae Dei & idololatriae, ideoque cum caeteris idololatriis perierint, & damnati sint. Gloriabatur Socrates se natum Athenis, quasi in schola sapientiae. Gloriabatur Philippus rex, natum sibi Alexandrum tempore Aristotelis, vt ab eo instrui posset: multo magis gloriatur Christianus se natum tempore Christi, quo in eius Ecclesia, Dei fidem & sapientiam ediscit: ac tantae Dei gratiae non sit ingratus, nec eam in vacuum recipiat, sed eistrenue cooperetur ad suam & aliorum salutem.

VT OMNES POENITENTIAM AGANT] de sua ignorantia, id est, idololatria aliisque peccatis.

VERS. 31.

EO QUOD STATUIT IDEM, IN QVO IUDICATURVS EST ORBEM] Idem praedicauit Paulus Felici praesidi Actor. 24. v. 23. & Petrus Cornelio, Actor. 10. 42. Praecipit nobis, inquit, praedicare populo, & restitificari, quia ipse est qui constitutus est a Deo iudex viuorum & mortuorum, vt nimirum in eum redemptorem credant, eique obediant, quem iudicem expectant. Idem crebro praedicec concionator. Magis enim minae & terrores, quam blanditiae & promissiones ferunt, & percellunt dura peccatorum corda. Audiui in Belgio insignem potentemque concionatorem, qui in omnibus concionibus multis efficacibusque verbis populo refricabat & inculcabat memoriam iudicij, motusque animorum vehementes ciebat, & multos conuertebat.

Præclare S. Iustinus apud Damascenum in Paralip. libr. 2. cap. 77. Quemadmodum, inquit, corporibus omnibus a Deo procreatis hoc insitum est, vt vmbra habeant; sic Deum quoque qui iustitia praeditus est, tum iis qui virtutem sibi colendam proposuerint; tum iis, qui vitium amplexari maluerint, pro cuiusque merito premia pœnasque tribuere consentaneum est. q. d. Sicut vmbra indiuisè sequitur corpus, ita Deum comitatur prouidentia & retributio.

Christus erit iudex quæ homo.

IN VIRO IN QVO STATUIT] Pagninus & Tigrina, per eum virum, per quem decreuerat, puta per Christum. Hinc patet Christum secundum humanitatem, quæ homo est & vir, non quæ Deus fore iudicem. Decet enim hominum iudicem esse hominem, vt ab iis videri, sentiri & audiri possit. Christus ergo est vir statutus a Deo iudex. Vnde Concilium Ephes. c. 31. in fine: in eo, inquit, qui forinsecus apparebit, & ab omnibus qui iudicandi sunt palam cernetur, diuina natura occultè latitans iudicium exercebit.

Notat S. Ambrosius libr. 6. in cap. 9. Lucæ, prudenter Paulum primò praedicalle solum Christi humanitatem, & sensim per eam gra-

A dum fecisse ad eius diuinitatem, ne, si statim eum Deum & hominem esse dixisset, a Sophis Atheniensibus exploderetur & irrideretur; sicut irritus fuit ob resurrectionem Christi. Idem imitandum praedicatori, & doctori apud rudes, auersos & contrariis erroribus imbutos, quales sunt Pagani, haeretici, &c. Deniq; S. Dionysius de Diuin. nominib. cap. 2. & 3. Cum, inquit, summus ille Deus substantiam nostræ carnis accepit, & vir est appellatus, &c. in naturalibus nostris supernaturalis erat, in iis qua nostra sunt essentia super essentiam, omnia nostra ex nobis & super nos possidens excellenter.

FIDEM PRÆBENS OMNIBVS] q. d. Fidem faciens, & publicè iudicem eum fore declarans, per eius resurrectionem ad vitam immortalem & gloriosam. Hoc enim est testimonium sufficiens ad fidem faciendam, quod ipse ideo resuscitatus sit, vt gloriose dominetur, sitque iudex orbis. ita Chrysostr. & Caietanus. Secundò, alij sic exponunt, q. d. Deus fidelem se in promissis exhibuit, quando Christum a mortuis excitauit: quia id se facturum psal. 115. 10. promiserat. Tertio, Lyran. & Hugo, q. d. Deus fidem praebuit resurrectioni nostræ per resurrectionem Christi, quod scilicet nos similiter suscitabit, sicut suscitauit Christum. Quarto alij, q. d. Deus per Christum fidem fecit eorum quæ credi voluit de se, de iudicio, de poenitentia, & aliis quæ praecesserunt. Sed primus sensus maximè est praecedentibus connexus, ideoque genuinus. Fides ergo hinc non fidem Christianam, sed probationem, vel argumentum significat, quo modo Aristoteles 1. Topicorum cap. 7. ait: Vna fides per inductionem est, alia per syllogismum, &c. q. d. Deus fidem fecit, hoc est, sufficienter probauit hominibus, Christum esse virum illum per quem iudicaturus sit orbem, quandoquidem in eius rei probationem & confirmationem, resuscitauit ipsum omnium primum ad vitam immortalem. Nam, vt ait Apostolus Roman. 14. v. 9. In hoc Christus & mortuus est, & resurrexit, vt & mortuorum & viuorum dominetur.

QVIDAM VERO VIRI ADHÆRENTES EI, CREDIDERUNT] Miratur Arator hanc sophorum per Paulum conuersionem, stupensque exclamat:

O Iupe Paule rapax, quid iam remanebit in orbe, Quod non ore trahas, postquam solertia Graia Cessit, & indoctas in dogmate vincit Athenas?

D IN QUIBUS ET DIONYSIVS AREOPAGITA] Græcè est articulus δ , q. d. Ille Arcopagita famosus & celebris iudex Dionysius, in Arcopagitarum senatu primarius. Hic est ille, qui sublimos illos libros scripsit de Cælesti & Eccles. Hierarch. de Diuin. nominib. de mystica Theolog. &c. in quibus cælestem angelorum ciuitatem, Deique attributa ita graphicè describit, ac si ea in cælis oculis spectasset. Quocirca à S. Chrysostr. vocatur $\pi\epsilon\tau\epsilon\upsilon\delta\upsilon\ \delta\ \epsilon\upsilon\pi\alpha\upsilon\delta\upsilon$. id est, volucris celi: ab aliis, diuinitissimus, patrio pronomine Ionicus, & cognomine Christiano Matarius. Gallie Apostolus. A Paulo creatus est Athenarum Episcopus. Vnde propter eum mirè floruit Ecclesia Atheniensis, ait Origen. libr. 3. Contra Celsum,

VERS. 34.

S. Dionysius Arcopagita quælibet

sum, protulitque viros doctrina & sanctitate A
perillustres, Quadratum, Athenagoram, Pu-
blichem quem sibi in episcopatu Atheniensi sub-
stituit iturus Romam, &c. Libros eius à calum-
niis hæreticorum Scaligeri & Erasmi, eruditè
defendit Baronius, Delrio, & olim Maximus,
Anastafius, Hincmarus, Hilduinus, & alij. Sanè
ipsa eorum profunditas, eloquiique sublimitas
& maiestas, qua omnium Theologorum Pa-
trumque scripta transcendunt, auctorem indi-
cant virum fuisse Paulinum & diuinum. Rur-
sum hunc Dionysium esse eundem cum Dio-
nyfio Parisiorum Episcopo, non diuersum, vti
aliqui ex Adone volunt, demonstrat Baron. in
Martyrol. die 9. Octobr.

Porro magna causa, vel occasio conuerfio-
nis S. Dionysij fuit, visio eclipsis miraculose
anno Christi 34. in Parasceue, dum Christus
crucifigeretur, quam ipse vidit Heliopoli in
Ægypto, cum Apollophane, vti ipse testatur
epist. ad eundem Apolloph. & epist. 11. ad Po-
lycarpum. Tunc enim stupens exclamauit: *Aut
Deus natura patitur, aut mundi machina dissolu-
tur*: vel, vt narrat Suidas, & Michael Synecellus
in encomio S. Dionysij, dicens se id accepisse à
suis maioribus: *Deus ignotus patitur in carne, adeoque
mundus hisce tenebris obscuratur, & concutitur*. Ad-
dit S. Dionys. epist. ad Apolloph. se tunc fuisse

25. annorum: quare cum Paulus prædicaret A-
thensis anno decimono à passione Christi,
qui fuit ab eius natiuitate 52. & Claudij 10. se-
quitur eodem tunc Dionysium fuisse conuer-
sum, cum annum ageret ætatis 44. Inde per
triennium adhæsit S. Paulo, vt mysteria reli-
gionis Christianæ penitus perdisceret: mox
creatus ab eo primus Athenarum Episcopus,
mirè ibidem fidem Christi propagauit: inde
cum Paulo ascendens Hierosolymam, morti &
funeri B. Virginis Deiparæ interfuit, vti ipse
asserit libr. de Diuin. nominib. cap. 3. Post hæc
S. Iohannem Apostolum relegatum à Domi-
tiano in Pathmos, anno Christi 97. consolatus
est per epistolam, qua ei celerem reditum præ-
dicit: sequenti enim anno occisus est Domi-
tianus: mox ab exilio rediit S. Iohannes, cuius
hortatu S. Dionysius profectus est Romam ad
S. Clementem: à quo missus in Gallias cum
Rústico & Eleutherio, post magnos longosque
labores, quibus fidem propagauit, & Ecclesiam
Gallicanam fundauit, tandem nobili martyrio
coronatus est Parisiis sub annum Domini 119.
imperante Adriano, cum annum ætatis ageret
110. vti ostendit Baronius: quando prodigium
à sæculis inauditum contigit, nimirum quod
ipse caput suum à carnifice resectum in manus
acceperit, illudque portarit comitantibus & ca-
nentibus angelis per duo miliaria, quasi trium-
phans de morte & tyranno. Ita habet eius vita,
& traditio Ecclesiæ Gallicanæ.

Affecla S. Dionysij tum in eruditione & sa-
pientia, tum in virtute & vita, tum in martyrio
& miraculosa capitis gestatione fuit magnus ille
Seuerinus Boëthius, Symmachi focer, cum eo
occisus à Theodorico rege Arriano, anno Do-
mini 526. Audi Iulium Martianum in eius vita,
& ex eo Baronium: *Ticini incola semper à maio-
ribus traditum constanter assuevit, Seuerinum,
cum regius spiculator lethale vulnus intulisset, vira-
que manu diuersum caput sustinisset: interrogatumque
à quonam se percussum existimaret? ab impiis, re-
spondisse: atque ita cum in vicinum templum venis-
set, & flexis genibus ante altare sacra (S. Synaxin)
percepisset paulo post exspirasse. Extinctus diuinos ho-
nores (illos qui Martyribus exhiberi solent) à
nostris consecutus est, quod pro Catholicis contra per-
fidum Arrij mortem sustinuerit. Ticini eius carcer,
& sepulchrum, in æde S. Augustini visitur.*

Similis S.
Dionysio
Boëthius

ET MULIER NOMINE DAMARIS | Hanc fuisse
vxorem Dionysij censet S. Chrysostr. libr. 4. de
Sacerdotio, & Hilduinus in vita S. Dionysij, ac
insinuat S. Ambrosius epist. ad Eccles. Vercell.
Et Græcum γυνή tam vxorem, quam mulierem
significat. Verum sic addidisset Lucas *uir*, di-
xissetque *mulier eius*: iam autem absolute dicit
in genere γυνή, id est *mulier*: vnde significat eam
non fuisse Dionysij vxorem, sed mulierem pri-
mariam, ita Pagnin. Tigur. & alij passim.

ET ALII CVMEIS | Multi censent vnum ex
eis fuisse Hierotheum. Eum enim Atheniensem
fuisse tradunt Græci, & ex iis Ambrosius Mo-
rales in Historia Hispania, & Iohan. Mariana
libr. 4. de Rebus Hispaniæ c. 3. & nomen ipsum
indicat eum fuisse Græcum: *εποθεος* enim græ-
cè idem est quod *sacer*, vel *consecratus Deo*. Vnde
& in Martyrol. Rom. die 4. Octobris sic de eo
legimus: *Athenis S. Hierothei discipuli S. Pauli*. Et
eodem die Menologium Græcorum sic habet:
*Natalis S. Patris nostri Hierothei, qui fuit vnus è
numero Areopagitarum, qui ab Apostolo Paulo est
instructus vna cum magno illo Dionysio, & cum re-
ligiosè vixisset, migravit ad Dominum. Addunt ali-
qui, Hierotheum fuisse Episcopum Athenarum: sed nil tale habet Menologium. Hispani
tamen censent Hierotheum fuisse Hispanum,
aut potius Hispaniæ præfectum, ibique à Paulo
esse conuersum, ita Morales, & Ribadentira in
vita S. Dionysij. Porro mirifice Hierotheus pas-
sim de prædicatur à S. Dionysio. Nam cap. 2. de
Diuin. nominib. ab eo vocatur *inclutus præceptor
noster*, & *μὲν οὖν μαθητὴν, ἀλλὰ καὶ ἡγετὴν τῶν θεῶν*,
id est, *non solum discens, sed & patiens diuina, con-
summatus, &c.* Et cap. 3. proximo post Aposto-
los loco eum constituit: *Omnes Doctores*, in-
quit, *superavit, totus excedens, totus extra se posi-
tus, diuino numine afflatus, occupatus à Deo, diui-
nus laudator ab omnibus iudicatus, ideoque ἡγετὴς*,
id est, *sacer quidam Deus, ac diuinus præceptor
noster*.*

Hierotheus
quist

Conuersus
anno ætatis
44.

Synopsis
vitæ S. Dio-
nyfij.